

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Peter Lauremberg

**Petri Laurembergi[i] Rostochiensis, Pansophia, Sive Paedia Philosophica:  
Instructio generalis, accurata, & solida, ad cognoscendum ambitum omnium  
Disciplinarum, quas humanae mentis industria excogitavit: Adiectâ liberalium  
plaerarumq[ue] nonnullarum etiam Illiberalium constitutione. Omnia ad  
methodum Aristotelicam**


Editio priorib. correctior & auctior, Rostochi[i]: Rostochi[i]: Wilden: Literis Kilianis, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn729044084>

Druck Freier  Zugang



1657



q6 - 3190<sup>a</sup>







PETRI LAUREMBERGI

Rostochiensis,

PANSOPHIA,

*Sive*

PÆDIA PHILO-  
SOPHICA:

Instructio generalis, accu-  
rata, & solida, ad cognoscendum  
ambitum omnium Disciplinarum, quas  
humanæ mentis industria exco-  
gitavit:

Adiectâ liberalium plerarumq; nonnulla-  
rum etiam illiberalium constitutione. Omnia ad  
methodum Aristotelicam.

Editio priorib. correctior  
& auctior.



ROSTOCHI

Literis KILIANIS.

Impensis JOACHIMI WILDEN/

Bibliopolæ. Anno 1657.

Universitätsbibliothek Rostock

A 18 G

18. Jhd.



1932. fil. 109



P. LAUREMBERGI  
PÆDIA, seu instructio  
ad cognoscendum Ambitum omni-  
um disciplinarum, Labore faciliter,  
tempore perbrevi.

**Q**uod Anima est homini, il-  
lud Methodus Atq; Ordo in Artibus &  
Scientiis. Absq; illâ qui discunt, ii mo-  
vent se quidem, sed nihil promovent  
seu, quod Platonis Verbum est: ηγλῶς μὴ τὸν γιδὸν  
τρέχεσσιν, ἀλλὰ τὸν τῆς ὁδοῦ, Velut peri-  
clitari necesse est navim suborta tempestate, nisi  
pyxide magnetica instructa fuerit: Ita discentium  
animi absq; Methodo raro portum attingunt stu-  
diorum. Econtra; Quemadmodum Archime-  
des solus Machinâ non magnâ movebat vastissi-  
mam ponderum molem, in quam absq; consimilē  
artificio, bis mille viri nihil poterant; Ita is quæ  
Methodo legitimâ aggrediunt disciplinarum

Compagem, facillimo labore ea præstabit, tan-  
tumq; in iis proficiet, quantum absque Methodo  
alii multorum annorum spacio, & improbo la-  
bore vix assequentur. Semper ego hanc causam  
efferatus sum, quod tam pauci ad solidæ Erudi-  
tionis apicem pertingant, quæque nostrâ ætate  
non assequamur stupendam priscorum Eruditio-  
nem, quia à pœthodœs, præpostero & inepto  
ordine discimus. Galenus lib. de sectis memi-  
nit Methodicorum, qui peculiari ratione to-  
tam artem Medicam spatio 6. Mensium disci  
posse profitebantur. Itaq; Hippocratem incusa-  
bant, quod artem longam, vitam brevem dixis-  
set: quia, si Methodo legitima utaris, ars omnis  
brevissimo tempore intelligi, & apprehendi  
possit. Non ego prorsus inepte censuisse, aut  
operam lusisse credo Methodicos, quum id quod  
profitebantur, nec à ratione, nec ab experien-  
tia alienum sit, quemadmodum suo loco demon-  
strabitur. Ceterum quidquid est in Mundo Ar-  
tium, (ita jam laxè voco omnes habitus, aut  
disciplinas, quibus descendis operam homines  
navare solent,) illud alterutrius duarum Metho-  
dorum opem postulat, & juxta ejus leges com-  
pendiosè tradi gestit. Sunt vero hæ Methodi,  
Analytica & Synthetica. Nam que bis ad-  
dita est Definitiva, tertia numero, eam nul-  
lam esse, peculiari opere demonstravit eruditu-

simus

simus Zabarella. Analytica Methodus debetur omnibus artibus propriè dictis; Itemq; prudenterius: Synthetica, scientiis & sapientiis. Nam quicunq; à nobis hodie mortalibus possidetur & tractatur habitus, is vel est Ars, vel prudenteria, vel scientia, vel sapientia, vel Intelligenzia. Ita ad duas Classes revocamus ambitum omnium disciplinarum, ad Methodum, inquam, Analyticam & Syntheticam. Sed ut proprius aggrediamur ἐγκυρωπαιδίας, id est, Catenam ac seriem omnium ab humano Ingenio excultarum disciplinarum, eæ dividi commode possunt tripartitio, in ποιητικὰς, factivas; περιήλεκτικὰς, activas; θεωρητικὰς, contemplativas. Hic notandæ differentiæ, & intima discrimina horum terminorum, quod ipsum maximam assert lucem præsenti negotio.

I. Ποιητικὰ disciplinæ sunt quæ opus aliquod producunt. Tales sunt Artes propriæ dictæ, quarum tota essentia, ut post audiemus, consistit in fabrefactione Rei, vel operis alijus realis. Omnis igitur Ars est ποιητικὴ, effectrix operi. Et habitus quinq; opus producens, est Ars. Hac de causâ optima est Definitio Artis ab Aristotele positâ lib. 6. Ethic: cap. 4. ab omnibus Philosophis laudata & approbata: Ars est habitus rectâ cum ratione.

effectivus, ποιητικός. Artium hodie duas constitutae sunt differentiae, Liberales & Illiberales: Ille homine ingenuo, & ingenio liberali dignus: Hę mercenariis relinquuntur, quibus non datum est sapere supra vulgus. Liberales sunt Grammatica; Poesis; Rhetorica; Logica; Mnemonica; quæ si cum Philosophia, cumq; facultatibus superioribus conferantur, Instrumenta seu habitus organici & sunt, & recte dici solent. His addimus Medicinam, cujus partes sunt Pharmacia, & Chirurgia. Quod si etiam eodem retulerimus Pictoriā, plasticā, sculptoriā, nemo nobis succensebit. Præter has Artes nullæ sunt liberales. Illiberalibus omnēs mundi Republicæ repletæ sunt: Omnes urbium & vicorum anguli abundant; quales sunt, Sutoria, Sartoria, fabrilis, pistoria, textoria, molitoria, & infinitæ alie. Illuc quoq; referenda sunt ea, quæ opus quidem nullum relinquunt post operationem, occupantur tamen ποιησί, analogicè dicta, ut proinde opus non sit peculiarem talium classem constituere. Tales sunt saltatoria, funambula, pugilatoria. Hę itaq; sunt Artes & habitus ποιητικοί.

II. Περὶ ποιητικῆς disciplinæ sunt, quæ occupantur nullā alia re, quam circa virtutem, honestatem, & harum contraria, (contrario-

TUMB

rum enim eadem disciplina. ) Hæ nec fabricant aliquid, nec opus producunt, sed mera actione, seu περάξι, quæ virtutem respicit, non μηχανή, quæ ad opus aut operationem pertinet, absolvuntur. Quemadmodum eas describit Aristoteles lib. I. Ethic. cap. 4. Itaq; nulla Ars, ut Medicina, potest dici verè Præctica; nec ulla disciplina præctica, ut Ethica, appellanda est Ars; Cum hæc distinguantur toto genere. Disciplinæ practicæ sunt tres, Ethica, Politica, Oeconomica, quibus addimus nos Jurisprudentiam, & huic annexos habius: tum item Theologiam, quæ nec opus producit, ut Artes: nec sola contemplatione contenta est, ut scientiæ, de quibus paulo post, sed & ipsa in actione & exercitio pietatis consistit.

III. Οεωχήμενη disciplinæ, contentæ sunt mera contemplatione, seu nuda cognitione, nec se demittunt vel ad opus aut essectionem, vel ad περάξι, seu actionem circa virtutem. Satis est illis nudam posidere θεωρίas & cognitionem rerum. Itaq; Aristot: in anal. poster. scientiam definit, cognitionem rei per suas causas. Harum sunt duæ Classes; Nam sunt vel scientiæ propriæ dictæ, vel sapientia. Scientiæ sunt Physica, & Mathesis. Mathematicæ scientiæ sunt, Arithme-

PETRI LAUREMBEGI  
*tica, Geometria, Sphärica, Astronomia, Geo-  
graphia, Geodesia, Optica, Musica, Astrologia,  
Architectura. Sapientia est Metaphysica.*

*Ecce tibi catalogum & Ambitum totius  
ēγνυκλοπαιδίας ; quo continetur universa  
cohors disciplinarum, quibus in hac mortali vita  
humanum ingenium exercetur : Inter quas que  
duabus posterioribus Classibus comprehenduntur,  
περὶ φιλοσοφίας & ἡγεμονίας, alias Philosophiae no-  
mine circumferri, & significari solent. Philo-  
sophiam enim Aristoteles, & cum eo plerique alii,  
bimembrem faciunt, Practicam & Theoreticam:  
Practicas species dicunt Ethicam, Politicam,  
Oeconomicam, Theoreticas Physicam, Mathesin,  
Metaphysicam. Quae primi sunt census (Artes In-  
telligo, seu disciplinas πονητικὰ) eae propriè ad  
Philosophiam non pertinent, nec illius imperio  
continentur, quamvis in earundem artium nu-  
mero nonnullae sint, que philosophiae ancillan-  
tur, & ad ejus commodiorem acquisitionem ui-  
biles operas conserunt, quo nomine instrumenta  
dici solent, nosque jam antè diximus esse Gramm.  
Rhetor. Peet. Logic. Mnemon.*

-08)(0)(80-

Me-



## Methodus Tractandarum ARTIUM.

**A**mante memini, O-  
mnes habitus compendio  
disci, & doceri non nisi dua-  
bus viis ac Methodis, Ana-  
lyticâ & Syntheticâ; Ana-  
lytica destinata est mihi-  
xīs, & περιπτωσίς, Synthetica θεωρητική;  
Analyticam Methodum voco (quasi dicas Re-  
solutivam) quæ Rem integrum resolvendo  
communuit in magnas, medioximas, & mi-  
nimas particulas: progeriesit, inquam, à  
toto ad partes, quemadmodum Anatomici  
Corpus integrum scindunt in minutiores par-  
ticulas. Syntheticam, seu compositivam, quæ  
contrariis prorsus vestigiis ambulans, ab par-  
ticulis exilibus auspicatur, atq; ex iis porro  
componit Tētum, veluti ex semine & sangu-  
ine sit corpus, ex corpore & anima homo in-  
teger. Primo docebimus Methodo Analyticā  
uti: & disciplinis μητικά (quas diximus  
non alias esse quam Artes) eam accōmodare.

A 5

Ars

Ars hic non sumitur amplà verbi potestate, pro systemate præceptorum, uni fini servientium, ut Ramæi intelligunt: ita enim collitur omnis habituum distinctio, neq; ullus est habitus, ulla disciplina, quæ hoc sensu non sit ars; At nos distinctè artem contemplamur, ut à scientia dissidet, Ars, inquam, omnibus absolvitur membris, in quibus tota illius perfectio & essentia consistit, SUBJECTO, FINE, & INSTRUMENTIS, quibus nonnunquam quartum additur, SPECIES scilicet. *Subiecti* voce non intelligimus 1. Subiectum Inhesionis, quemadm: Ovum Albedinis, Intellectus omnium artium est Subjectum; Nec 2. Subjectum Circa quod, latissime acceptum, quo continentur omnia, de quibus in arte agitur. Nec 3. Subjectum prædicationis, quod prædicato opponitur, estq; altera Enunciationis particula; Nec 4. Subjectum Demonstrationis, quo gaudent solæ scientiæ. Sed 5. subjectum operationis, in quod artifex agit, quod tractat, immutat, arq; in quod finem artis introducit. Hujusmodi Subjectum in Artibus primum obtinet locum, ejusq; necessitas vel inde peripicitur, quod Ars multo sit inferior natura: At ne natura quidem aliquid producere potest, absq; Subjecto seu materia, multo minus Ars. Ut enim ex nihilo

nihil

nihil sit; ita nec opus per Artem producendum, ex nihilo, aut in nihilo potest fieri. Proinde requiritur subjectum, quod operationibus artificis, totiq; arti substernitur instar fundamenti. Ut se habet basis ædificii ad totam structuram quæ superponitur; ita Subjectum ad Artem. Secundo loco est *Finis*, qui hic principii obtinet rationem. Hic est ipse terminus, hæc meta, ad quam tendit omnis Artificis labor & industria. Hoc est illud ipsum opus, (aut operatio) quod in Subjectum debet introduci, propter quod sunt omnia quæ in arte siunt. Quidquid sit, sit propter finem: Propter nihil enim, nihil sit. At in arte aliquid sit: Artis n. tota essentia consistit in opere producendo, seu effectione. Hæc ipsa est Finis: Primus quidem intentione, (unde dicitur habere rationem Principii) sed postremus consequitione. Fine sibi proponit artifex ante omnem *mīσav*: Ita tamen ipse finis non nisi omnib. operationibus expeditis, perfectè emergit & possidetur. Tertium locum occupant *Instrumenta* vel *Media*: Artis, quorum beneficio & opera Finis introducitur in Subjectum. Finis n. seipsum non efficit. Requiruntur igitur Media quædam, & adminicula, quæ Instrumenta vocant artifices, quibus adjuti Subjectū varie & artificiose tractant, atq; ita tandem disponunt, ut Oprati

finis

finis fiat particeps. Esto in Exemplum Ars Aurifica, in qua Subiectum operationis est aurum: quippe in quod artifex agit, quod tractat miris modis, in quod finem suæ artis introducere gestit. Finis est Figura Annuli, aut inaurium, aut Scyphi, quæ in Subiectum, aurum introducitur. Instrumenta sunt incus, Ignis, malleus, lima, forfex; quibus adjutus aurifex figuram optatam inducit auro (Subiecto.) Adeundem modum, Omnis in mundo Ars suum possidet subiectum proprium; suum finem; sua Instrumenta. Sed explicanda sunt sigillatim tria dicta membra.

### I. SUBJECTUM.

I. SUBJECTUM artium duabus perpetuo constat partibus, Materiali, & Formali. Solent alias vocari, Res considerata, & Modus, seu Ratio considerandi. Materia vel res, communis potest esse pluribus disciplinis; quemadm: in Naturâ Materia multis substitut Formis: at modus considerandi vel Ratio formalis, peculiaris est uni soli disciplinae, additaq; Rei consideratæ, restringit eam ad certum artis genus, facitq; ut hujus, & non aliis fiat Subiectum: Hoc ipso differentia & formæ in Natura similis est, quæ & ipsa latè patenter materiæ communionem coherget, facitque ex ea nōdēn. Exemplum: Medicinæ sub-

jectum

jectum creditur esse Corpus humanum quatenus Sanabile. Hic res considerata est, *corpus humanum*, modus considerandi est *Quatenus sanabile*: Res, seu *corpus humanum*, non soli medicinæ subjicitur, sed & Physicæ, (est quippe homo species corporis naturalis:) At ratio formalis, *qua sanabile*, addita corpori humano, distinguit illud à Physica, omnibusq; aliis disciplinis, & facit id proprium ac peculiare subjectum Medicinæ. Nulla enim est Ars, quæ corpus humanum tractet, quà id est sanabile, præter medicinam. Dabo Exemplum planius. Homo subjectum fere est omnium Disciplinarum, quà est res considerata. At modum unaquæq; disciplina proprium habet, additum homini, per quem homo restringitur ad hanc, & non aliam disciplinam. Nam subjicitur Theologiæ, homo, quatenus coram D E O salvatur. Jurisprudentiæ, quatenus in Republica Justè debet vivere. Medicinæ, quà est sanabilis. Ethicæ, quatenus est Virtutibus excolendus; Physicæ, quà est corpus naturale, seu quà Naturam habet. Vides totam subjecti determinandi perfectionem, dependere à ratione Formali, seu modo considerandi. Hic porro modus in Artibus sumitur perpetuo à Fine. Nam Finis additus Rei consideratae ipsius subjecti, constituit

ad 2.

adæquatum artis, & totum subjectum. Ita Finis medicinæ est sanitas. Subjectum medici pars materialis est corpus humanum, quibus duobus additis, resultat Integrum & adæquatum medicinæ subj: Corpus humanum quan sanabile. Ita finis artis Aurifícæ est forma aut figura certa; subjectum est aurum; ex quibus duobus conjunctis, sit totale & adæquatum subjectum, Aurum quatenus in certas Figuras aut formas ducendum aut fingendum.

Sunt porro certæ quædam Regulæ & Conditiones, quibus instructum esse oportet Adæquatum Artis Subjectum, quarum famo siores hæ sunt.

### CONDITIONES SUBJECTI.

I. Omne Subjectum Artis adæquatum debet esse Ens reale, non fictitium. Ita Notiones secundæ, non possunt esse subjectum Logices; quia sunt Entia rationis, non realia.

II. Sit Ens unum per se, Una enim Ars, unum possidet subjectum. Unitas autem Subjecti estimatur non ex reconsiderata, seu parte materiali; sed ex formalí, seu ratione considerandi. Res enim quamvis multiplex, ab una tamen Ratione formalí coarctata, una sit, uniusq; artis subjectum: Sic Architectoni-

ea, considerat ligna, lapides, cæmenta, ferrum, quæ multa sanè sunt Entia, non unum, sed una ratio formalis, quatenus in formam ædificii conjungenda sunt, faciunt ut illa omnia æstimentur unum quid. Non aliter quam homo ex diversissimis compositus particulis, unus est ob unam formam. Et Aristoteles tactum unum scripsit esse sensum. I.  
I. de anima, quamvis objecta habeat multiplicia, calorem, frigus, durum, molle &c. quæ omnia uni se submittunt rationi formalis, quatenus sunt tactilia.

III. Sit tale Ens, quod in nostra positum est potestate, in quod agere possumus pro llibitu: quod immutari multisq; modis disponi à nobis potest: breviter, quod finem artis, per nostram operationem producendum, recipere in se aptum est. In hanc legem peccant illi, qui Logices subjectum ponunt Res omnes, aut decem rerum summa genera. Illa n. nec à nostra ~~mīnēσ~~ immutantur, nec in se recipiunt finem artis, nec posita sunt in nostro arbitrio aut potestate. Omne certè subjectum artis, ab Artifice aliquid patitur. In illud enim hic agit. At Res omnes quid patiuntur à Logico, dum is finem suum producere allaborat?

IV. Non sit latius arte, nec angustius, sed toti ejus ambitui respondeat æquabiliter.

Quid

Quidquid in Arte explicatur, id esse debet aliquid subjecti. Nec quidquam subjecti esse debet quod in arte non explicetur. Nam quur finis artis, aut opus ipsum artifici curè est? quur instrumenta? Non nisi quia utrumq; ad subjectum refertur. Hujusmodi aequalitas subjecti & artis intelligenda venit de subjecto integro, quod constat materiali & formalii. Nam materiale solum latius esse posse arte unà, jam ante confessi sumus: At materiale connexum formalii, exhaustit totam artis latitudinem, nec tamen extra ejus limites evagatur.

V. Sit Artifici cognitum, adeoq; primo omnium loco in arte explicetur. In ignoto enim nemo operari potest: Eruntq; Subjecto incognito, incognita omnia, quæ ab ipso dependent. Rectè Gal. lib. de const. art: quomodo vitia partium curabit Medicus, nisi partes cognoscat ipsas? Aurifex poteritne fundere, ducere, limare, polire aurum, si quale sit ignoraverit? Cæterum cognitio subjecti, nec quælibet requiritur, nec quoquo modo intellecta; sed talis, quæ arti & ejus fini consequendo sufficiat. Faber ferrarius non curat quomodo in terræ visceribus concrescat ferrum? Ex quibus generetur principiis? Salene, sulphure, ac Mercurio, an aliis? Satis

illi

illi est novisse quo pacto duci & cudi ferrum  
debeat, quia eo usq; solum se extendit finis  
suæ artis.

VI. Modus considerandi æqualis esse debet rei consideratae, & hæc duo reciprocari. Hanc necessitatē æqualitatis ac reciprocandi demonstrarunt Zabar. l. 1.c. 18. nat. Log. & de Phys. const. c. 2. Perer. Phil. nat. l. 2. c. 1. Sed eam recentiorum quidam negare & evertere connotati sunt, arbitrati, neq; opus esse curiosâ hac æqualitate, neq; eam in disciplinis plurimis observari. Quin ex adverso prorsus necesse est, ut res considerata latius extendatur modo considerandi. Rationes eorum sunt hujusmodi. 1. Si utrumq; membrum esset æquale, supervacuus foret modus considerandi, quem ad rem coarctandam adjungere solemus. Nam ab æuali quomodo fiat ulla coarctatio? 2. Tametsi res seu materia considerata, vel maximè sumatur generalis & latè patens, contrahitur tamen à modo, ita ut angustiori æquipolleat: Exempli gratia: Ens latius patet quam corpus. Tamen Ens naturale nihil aliud esse potest quam corpus naturale. 3. Omniū auctōrum testimonio res considerata similis est materiae, modus formæ. Nunc vero sicuti materia multò prolixius patet, quam forma: Ita poterit rem latius extendi quam modum,

abs quo modo hæc istius latepatentia constatur. 4. Postremo in præstantissimis Mathematicarum scientiarum, optica & Musica, nem o ostendet hanc æqualitatem. Imo nec in aliis artibus Mechanicis. Etenim Opticæ subiectū est linea qua visibilis:visibile autem latius patet Linea: In Musica subjectum est numerus, quasonorus: at numerosius est quam sonus: Aurifica Ars subjectum habet aurum qua fusile, at non omne fusile, est aurum. Sed hæ rationes non sunt tam validæ, ut vim aliquam inferant nostræ positioni. Ordine illas responsum est à me in Porticu Aesculani pag. 57. è qua sequentia repetere placet.

Ad 1. Res restringitur à modo, Anima seu corpus vivens à sanabili, non quatenus est, sed quatenus sub considerationem cadit. Animal quidem, & esse sanabile, prout res sunt extra animum, convertuntur & æquale patent; cum nullum detur animal perfectum, quin sanabile, & viceversa. Verum cum consideratio animalis multiplex esse possit, idcirco restringitur. Potest enim considerari ut est corpus naturale; ut debet manari, & præparari in alimoniam; ut potest liberari à morbis. Eam ob causam, ut reliqua omnes considerationes excludamus, & coarctemus id ad selam medicinam, adjicimus

modum

modum considerandi. Vides quomodo res considerata æqualis sit modo, quatenus est a- liquid extra intellectum; quomodo item eodem amplior, non quâ res est, sed quâ considerationi subjacet. Habe tibi & hoc exem- plum: Homine nec angustiora sunt, nec latiora hæc; honeste vitam agere in Republica, beari coram DEO. Istud tamen Jurispruden- tiam, hoc Theologiam constituit.

Ad 2. Ut in definitionibus docet Arist. 6. top. 3. differentiam semper debere adjungi generi suo proximo: illumq; peccare, qui definiens sumit genus remotum, transiliens proximum, ita modus & res, quæ vicina sunt, & proxime se contingunt, quâm rectissimè copulantur; pariq; lege non caret peccato ac errore, si quis subjectum constituat, cuius materia con- remotior est, aut strictior modo con: Ratio: quia proximiū semper plenius aperit, & mi- nus confusè, naturam & essentiam quæsitam. Non nego verè dici, omne Ens, omnemq; substantiam naturalem esse corpus naturale; omnis sane homo est sanabilis; rectius tamen dixero, animal esse sanabile, quia nullus hic sit saltus ab infimis ad superiora, intermissis mediis. Hoc pacto tum preceptis artis consu- litur, quæ jubent adjungere differentias pro- ximis suis generibus, tum nostræ cognitioni.

B 2

Ad 3.

Ad 3. Similitudo materiae & rei consi-  
temq; formæ & modi, vix videtur planè in-  
tellecta autoribus hujus argumenti. Pars sub-  
jecti materialis à materia haud denominatur,  
eo quod velut materia indifferens est & pro-  
lixior formis recipiendis, ita res latior sit mo-  
do; id falsum probabit scientiarū architecto-  
nica, cuius res est ens, & modus item ens; neu-  
trum altero generalius. Verum in hoc saltem  
cōformitas utriusq; cōsistit: Sicut materia apta  
nata est suscipere formas multiplices, ita res  
considerata submitit se variis considerandi  
modis; cum quibus licet eandem obtineat es-  
sentiæ communitatem aut angustiam, multi-  
plices tamen gignit disciplinas, pro illorum  
varietate. Rursus ut materia ab unius formæ vi-  
cohererit a fit *ad eam*: ita res considerata sub ju-  
go & iectu modi alicujus certum constituit ge-  
nus disciplinæ. Hæc analogia' materiae & rei  
consi. dextre intelligenda, non de essentiæ la-  
titudine, sed de considerationis varietate.

Ad 4. Ajo: quid si ego demonstravero,  
hanc æ qualitatem rei & modi, non tantum in  
scientiis subalternis dari, Optica, inquam, &  
Musica, sed in subjectis omnium scientiarum,  
artium, disciplinarum, quotcunq; humana in-  
dustria haec tenus excolluit? Si studioso animo  
percurras subjecta omnium disciplinarum, fa-

cilē

cile deprehendes veritatem. Opticæ subiectum (quod objiciebatur nobis) profectò non est linea qua visibilis; linea enim non videtur, (quanquam videatur per rectam lineam quicquid videtur) nec de linea demonstrat suas propositiones Opticus. Genuinum Opticæ subiectum est, omne coloratum ac lucidum qua visibile. De colorato ac lucido Opticus sua demonstrat; pleraq; sua illuc refert. At annon æquipollent hæc, esse lucidum, itemq; coloratum, & esse visibile? profectò omne visibile est lucidum vel coloratum, (quicquid enim videtur est lux vel color) itemq;, omne lucidum aut coloratum est visibile. Haud aliter agitur cum Musica, cuius subiectum adæquatum præstantissimi quiq; Musici constituunt, numerum sonorum, quantum harmonicus. Jam omne harmonicum est numerus sonorus, & omnis numerus sonorus harmonicus est. Sed neq; arificæ artis subiectum nobis obstat. Est una quædam generalis ars fusoria, vel ductoria metallorum in varias & elegantes formas. Metalla vero quia varia, idcirco alias hoc, alias illud fundendum & docendum sibi sumit. Faber aurarius aurum, ferrarius ferrum, stannarius stannum, ærarius æs: Qui omnes sunt artifices unius artis generalis fusoriae *χηματ-*

ποιητικῆς exercentq; particulas unius artis,  
eujus unum subiectum generale metallum:  
finis generalis, figuræ variæ. Has artes ne-  
mo dixerit (non cum vulgo, sed philosophi-  
cum in modum judicans) differre revera, aut  
specie aut essentialiter. Nam nonne artes  
distinguuntur fine? sic sane docetur in Phi-  
losophia. At aurifaci, stannario, ferrario, æra-  
rio unus idemq; finis: Exempli gratia, Fi-  
gura poculi, annuli, quem iste ex auro, ille  
ex stanno, hic ex ferro & ære conficiunt.  
Contemplare igitur has, quæ sequuntur di-  
sciplinas, & serio & candidè de iis arbitrare,  
non dubito quin confessurus sis nobiscum,  
rem & modum subiecti in omnibus recipro-  
cari, nec unum longius divagari altero.

<i>Metaphysicæ</i>	<i>Ens</i>	<i>quà Ens.</i>
<i>Arithmeticae</i>	<i>Numerus</i>	<i>quà numerabilis.</i>
<i>Geometrie</i>	<i>Magnitudo</i>	<i>quà mensurabilis.</i>
<i>Geographiae</i>	<i>Tellus</i>	<i>quà distinguitur per regiones &amp; maria.</i>
<i>Opticæ</i>	<i>colorat. aut lucidum.</i>	<i>quà visibile.</i>
<i>Musicæ</i>	<i>Numerus sonorus</i>	<i>quà harmoniacus.</i>
<i>Ethicae</i>	<i>Homo</i>	<i>quà particeps summi boni.</i>

Theo-

Theologiae	Homo	quæ Salvatur coram
Medicinae	Animal per se fætum :	quæ sanabile. (Deo. vide Porticuæ Esculapii)
Jurisprudencie	Homo	quæ justè vivit in Rep.
Architectonicæ	Lapid. lign. &c.	quæ ex iis extruitur aliquid.
Logicae	Res omnes	quæ subsunt sec. notia- nibus.
Logice	Intellectus	quæ diriguntur in rer. cogn.
Grammaticæ	Oratio	quæ cōgruè pronūciat.
Sutoriae	Corium	quæ exinde clacei for- mandi.
Sartoriae	Pannus, se- ricum &c.	quæ paranda ex iis vestis:
Zymaturicæ	Corp⁹ fusile	quæ formād. in var. fig. aut ductil.

## I.I. FINIS.

II. FINIS, proximè sequitur, quem vulgò geminum faciunt, Externum & Internum. Externus positus est extra Artis constitutionem, ad quem finis Internus dirigitur. Internus est de ipsa artis essentiâ, propter quæ sunt omnia quæ in arte sunt, e. g. Ædificatoriae finis internus est Domus: Externus, habitatione. Cum externo sine nobis nihil est negotii, quippe qui consistit extra portuaria artis. Internus est hujus Loci, de quo proponimus has leges.

B. 4.

CON.

PETRI LAUREMBERGI  
**CONDITIONES FINIS.**

I. Finis cuiusq; Artis sit Ens reale, positivum, quod revera datur in mundo, & est in serie prædicamentorum Absolutorum. Quia enim Ars est habitus realis, essentiam positam habens in opere producendo, necesse quoq; est, opus ipsum esse reale, quod per realem operationem producitur. Adversus hanc legem peccant illi, qui Logices finem constituunt secundas notiones, quæ revera nihil sunt, nisi cum finguntur esse, nec in ullo prædicamento locari possunt. Porri hic finis, hoc opus, siue crassum, manuale? an spirituale, sensibus non obvium? nihil interest. Satis est esse Ens reale. Strenuus est error prætentientium, ab arte saltē effici opus sensuale, palpabile; quia tale Aristoteles adduxit loco Exempli in Def: Art: Id fecit majoris intellectus gratia, eoq; non exclusit opera alia subtilia. Intemperies lienis, correcta à Medico, opus est reale artis medicæ. At quonam sensu perceptibile? Nimis crassi sunt, quia tam crasse finem artis seu opus interpretantur.

II. Omnis finis Artis æstimatur, non ex animo discentis, sed ex natura Artis, quæ est operis productio. Ita non oportet æstimare medicinam ex eo, quod multicam addiscant

solius

solius cognitionis gratiâ. Nulla enim est Ars, propter nudam contemplationem: Sed gratia operis producendi.

III. Omnis finis artis per operationem (*ποίησιν*) dignitur, quum ante non esset: Id est, finem oportet esse 1. absentem 2. per *ποίησιν* produci. quam primum enim jam adest finis præsens, cessat omnis usus artis. Tum quoq; ubi nulla est *ποίησις*, ibi nulla finis in arte productio. In hanc legem peccant Medici, qui sanitatis præsentis conservationem faciunt finem Medicinæ. Quia illud quod jam præsens est, non fit; & operatio est ejus quod nondum est, Ars vero nulla absq; operatione; videt quilibet, sanitatem præsentem non pertinere ad artem medicam, sed eâ acquisitâ Medicam omnem operationem cessare, vide Porticum Æsculapii.

IV. Ex fine sit judicium de omniibus quæ in arte traduntur; Quia finis omnis artium, est *ποίησις*: nullus v. *θεωρητικός*. Consequēs etiā est, omnia, quæ in arte tradūtur, esse merita *ποίησις*, nihil scientificū aut contemplativum. Omnis enim contemplatio accognitio rerum in arte proposita, essentialiter refertur & dirigitur ad operationem. Ergo & ex hoc fine seu operatione omnia sunt aestimanda. Hic impingunt medici, dum aliquam

B 5

Medi

Medicinæ partem faciunt θεωρητικὴν , scienti-  
ficam; aliam ποιητικὴν : quasi non & illa essen-  
tialiter huic subordinaretur.

V. Finis artis cognosci deber duplici  
ratione. 1. Quid sit ? 2. Quod esse possit, seu  
quod non sit productu impossibilis ? Utroq;  
modo explicandus protinus post subjecti tra-  
stationem. Nam si ignoretur quid sit igno-  
rari oportebit omnia quæ ab illo dependent...  
Si vero produci aut esse non possit , frustrè  
instituetur operatio. Ita medicus non solum  
curiose explicat essentiam sanitatis , sed accu-  
rately perpendit, anne morbus sit sanabilis ? An  
reduci sanitas possit ? Deploratis enim affe-  
ctibus non sunt adhibenda remedia.

### III. INSTRUMENTA.

Instrumentorum hæc sunt requisita.

I. Non opus est instrumenta esse Entia-  
realia , quum & Entibus Rationis adjuvari  
possit artifex ad finem consequendum. Ita  
instrumenta Grammatica sunt declinationes ,  
conjugationes &c. Logica , Prædicabilia ,  
Enunciationes ; Astronomica , Sphæra & hy-  
potheses ; quæ omnia sunt non positiva , sed  
rationis Entia.

II. Instrumenta artis varia esse possunt ,

quan-

quanquam finis unus sit. Ita Medicinæ tria possidet Organa, Diætam, Pharmaciam, Cheirurgiam. Aurificina, Malleos, ferræ, fornacem, ignem, Incudem &c.

III. Omnia Instrumenta Artium Essentialiter subordinantur operationi, seu operi. Nuda Theoria, ab illorum natura est aliena. Ita si Medicamenta solum addiscantur, ut cognoscantur eorum vires, non vero accommodentur operationi, usui, & Medicationi, jam desinunt esse Instrumenta Artis Medicæ. Ut qui suppellectilem possidet splendidam, & bene instructam, nec ea utitur, stultus est: Ita artifex instrumenta non adhibens ad usum.

IV. Instrumenta necesse est ab artifice perfectè cognosci: oportetq; artificem ipsum scire quomodo ea operi adhiberi & tractari conveniat. Si enim ignorentur, ægre eorum beneficio poterit absens finis comparari: Siq; artifex nesciat, vel ipse iis uti, vel aliis ostendere quâ ratione sint usurpanda, non poterunt ejus instrumenta appellari. Instrumentum enim refertur ad instrumentum. Quam ille ridiculus & ineptus esset artifex qui non nosceret, non usurpare sciret limam, & graphium, vel ministro ea committere & ipsem nesciret iisdem artificiose uti. In hanc legem peccant Medici qui neq;

plan-

plantas, neq; mineralia cognoscunt, nobilio-  
ra certè artis suæ instrumenta. Errant etiam  
quum modum ea præparandi, componendi,  
usurpandi ignorant, sed universum hoc ne-  
gotium seplasiariis concredunt; qui quidem  
eorum ministrisunt, sed turpe est Doctorem  
suo famulo esse ignariorem.

V. In Artibus Instrumentalibus, ita pro-  
priè & vulgariter dictis, Instrumenta præci-  
puam occupant partem explicationis & to-  
tius Systematis. Per paucæ pagellæ dantur  
subjecto & fini. Ita Logica, quid aliud fere  
tradit qvam secundarum notionum farragi-  
nem? Quid Grammatica, præter Casus, re-  
gulas, species, modos, tempora &c?

### ARTES INSTRUMENTARIAE.

Generali artium Constitutioni adjunge-  
mns peculiarem singularum *diayegPhi*. Ubi  
primæ debentur disciplinis illis, qvæ apud  
Philosophos Instrumentorum titulo insigni-  
ri solent. Hic monendi estis, non constituere  
Habitus Instrumentales singulare disciplina-  
rum genus, tota natura diversum ab artibus,  
qvemadmodum Zabarel: initio-operum Lo-  
gicorum, nobis consuadere conatus est. Inibi  
docuit præter scientiam, prudentiam, artem,  
habitusq; populariter ab aristotele, & Ele-

gan-

gantioribus Philosophis enumeratos, dari  
in Mundo diversum qvoddam habituum  
genus, qvi non ut illi, principales sint, sed to-  
tam Essentiam in relatione atq; habitudine  
positam habeant, atq; inde vocentur instru-  
menta, vel habitus instrumentales, quia non  
solum subserviant Philosophiæ, sed & essen-  
tialiter ad illam referantur, & absq; hac rela-  
tione nihil sint. Ejusmodi instrumenta Phi-  
losophica, ab artibus differentia, esse Gram-  
Logicam, Pœsin, Rheticam. Nosverò ex  
fundamento superius posito certi sumus,  
Nullam esse ab humano ingenio excultam  
disciplinam, qvæ non sit πιetaτικὴ seu ars vel  
θεωρητικὴ scientia vel πρακτικὴ, seu pruden-  
tia. Inhorum numero necessum est omnino  
poni habitus instrumentales. Dicant enim  
mihi, qvum omnis habitus æstimetur à fine  
interno, quem sibi intimè & per se proposi-  
tum habet. Quisham sit internus instrumen-  
tariorum disciplinarum finis? Vel erit produ-  
ctio operis alicujus, vel mera contemplatio,  
vel πράξις. Nam præter hæc nihil datur in  
mundo. Non est quod regerant, finem esse  
referri ad Philosophiam. Hic enim finis exter-  
nus est conveniens habituijam perfecto & in  
se absoluto. Non est verò perfectus nisi finem  
possideat internum: finis enim est forma ha-

bitus;

bitus; à forma vero perfectio. Igitur habitus instrumentales, vel habebunt pro fine intimo aliud quidquā, prætermūnōv, πρέξειν, θεωρίαν, vel sub uno horum continebuntur. Non habent vero aliud; quia præter tria ea nihil datur: Ergo uni horum subsunt. Itaq; habitus instrumentales vel erunt artes, vel prudentiæ, vel scientiæ. Novum illud genus habituum nullum est. De quo ut quid censendum sit, siccinctè & solide exprimam, illud suppono ex omnium Philosophorum sententia, instrumentum esse ex genere Relatorum. Referunt enim ad instrumentatum, seu ad agens principale, cui servit, & à quo dicitur. Tum deinde: Omnem Relationem fundari in absoluto; quod Naturā necessarium est prius esse, ipsa relatione, quæ illi advenit. Jam vero Gram: Log. Rhet. & Mnemōn: esse instrumenta libenter fateor. Referuntur enim ad Philosophiam, aliasq; disciplinas, quib. maximè serviunt & magnam afferunt utilitatem. priusquā vero siant instrumenta, seu considerentur ut instrumenta, & adhibeantur ad usum, necesse est habere essentiam & naturam absolutam, in qua cœu basi, relatio illa fundetur; ut Pater est Relatum, cuius fundamentum est homo, ex prædicamento absolute substantiæ. Ita instrumentum est relatio,

cujus

Cujus fundamentum est Habitūs , ex prædicamento Qualitatis. Omnis vero Habitūs in Qualitate est vel ars , vel prudentia , vel scientia . Itaq; Logica ( ut hanc pro exemplo solam sumam ) primō erit vel Ars , vel prudentia , vel scientia , & cum demum fiet instrumentum , si hæc Ars vel Scientia referatur ad Philosophiam . Exemplo res fieri noteſt explicatissima . Ephippiaria , quæ eorum phaleras & Ephippia fabricat , Instrumentum est , artis equeſtris , cui quippe servit & subordinatur . Sed hic servitus atq; relatio illi accidit ; estq; finis Ephippiariæ externus . Absq; qvo Ephippiaria in ſe ſpectata , revera ars eſt , habitus sc. abſolutus , quippe quæ opus efficit in ſubiecto per instrumenta . Idem cendendū de Gram. Log. cæterisq; disciplinis Instrumentariis . Ut breviter dicam : Unaquæq; harum potest conſiderari dupliciter , 1. Abſolutē & in ſe , absq; relatione ad aliud . 2. Respectivē , cum habitudine & relatione ad Philosophiam , diſciplinasq; alias quibus ancillantur : Priori conceptu ſunt artes maximē propriè dictæ ; poſteriori , ſunt & dicuntur Instrumenta . Ita Socrates vel qua eſt homo conſiderari potest : Atq; ita eſt Ens abſolutum : vel qua pater eſt : atq; ita ſub eſt generi Relatorum . Porro unum quodq; ita debet cognosci , id eſt doceri &

diſci

disci, prout est. Itaq; & Gram: & Log. cæterasq; disciplinas tractari oportet, prout absolute sunt, id est, inter artes reponuntur: nec eâ gratiâ postulant peculiarem tractandi Methodum. Id etiâ obiter notari velim: Non solius Philosophiæ instrumenta esse Logicam, Gram: velut hodie has disciplinas definiunt Philosophi. Sed etiam artium quarundam, extra Philosophiam numerorum. Medicinam nemo fecerit partem Philosophiæ; At Medicinæ, Log. & Gram. & Rhet. & Memon. non minus famulantur, suntq; pro instrumentis quam Philosophiæ. Aliunt quidem illi, Logicam, g. e. totam suam essentiam habere positam in relatione ad Philosophiam, itaq; essentialiter esse instrumentum; & nisi instrumentum sit, nihil esse: sed hæc pugnant cum natura instrumentorum, & cum solidâ Philosophiâ. Nam ut edisseram prius in quo consistat genus & ratio essentialis instrumenti, & tum post ad rem præsentem accommodem dicta, ex illustriorum Philosophorum sententia, instrumentum nullum est, quod non positum sit in usu agentis; ita ut cessante usu, cesset essentia instrumenti. Sic Aphrod. in l. 1, prior. c. 12. instrumentum non est quod nulli usui est: Ita, Averrh. 2. gen. an. c. 3. instrumentum non potest separari re-

fienda:

fienda : Ita Thomas in poster : Instrumenti utilitas nulla est, nisi in usu agentis. Ita Plat. Rep. Dial. 10. Instrumentum cuiusq; animalis & actionis, non in alio est quam in usu. Hinc sequitur , cessante usu , cessare instrumenti Essentiam. Culter, securis, vas, poculum, nisi quis iis utatur, manent quidem Entia ex serie rerum artificialium ; desinunt tamen esse instrumenta, quia usus illorum actu ipso nullus est. Hic usus non debet intelligi de potentia; quasi culter, etiamsi nemo sit qui actu eo utatur ad scindendum, tamen non designat esse instrumentum, siquidem potentiam habeat, qva ad usum applicari possit: Ajo ego; Usum omnem, in quo instrumenti essentia cōsistit, debere esse actu, non potentia. Quur? Quia instrumentum ut dixi, est ex genere Regulatorum. At nulla Relatio attenditur ratione aptitudinis aut potentiae, sed ratione actus. Alioquin omnis homo foret pater; quia tametsi actu non habeat filium, habet tamen potentiam generandi filium. Eadem est cum instrumento ratio. Summa; Omnis Relatio est inter duos terminos qvi actu sunt, non solum potentia: Instrumentum & instrumentatum , seu agens principale, sunt duo termini, inter quos datur Relatio. Ergo necesse est eos esse actu: At si nulla est actio, nullum quoq; est agens;

C

Agens

Agens enim ab actione dicitur. Ergo si nulla est actio, nullum quoq; erit instrumentum. Hæc vero actio est usus instrumenti, in actu ipso positus. Concludo. Instrumenti Essentiam consistere in usu, qui actu ipso inest, & ut sic dicam, exercetur. His intellectis, jam illud porro sequitur, adeoq; evidentissimum est, usum hunc & actionem, esse quidem de rei essentia, quatenus res est instrumentum: non tamen esse de rei Essentia, si res absolute, aut alio modo consideretur. Cesset enim hic usus, hæc actio, cessabit quidem ratio instrumenti, non tamen propterea res ipsa, quæ erat instrumentum, desinet esse, & fieri nihil. Culter nisi actu scindat, instrumentum scindendum non est. Quiescat vero, nec sit qui eo utatur, tum propterea non desinit esse culter, id est, corpus arte factum, chalibatum, acuminatum, oblongum, acie bona instructum. Ens, inquam, per accidens, qualia sunt omnia arte facta, quamvis interim definat esse instrumentum. Sic Logica, si quis utatur ad Philosophiam & Medicinam felicius discendas, instrumentum est, & totam suam essentiam in hoc usu positam habet, quatenus est instrumentum: At vero si quis Logicæ apprime gnarus, tamen nec ad Philosophiam eam applicet, sed a potius contra Philosophiam, quemadmodum

Agrip-

Agrippa fecit; nec etiam ad ullarum àliarum disciplinarum cognitionem comparandam, è utatur; Ecquid propterea desinet esse Logica, habitus animi, & illius qui eam animo possederit? Ecquid propterea nihil, & non Ens futura est? Velut multi sunt è civibus nostris, qui vaia argentea, vestes, aliaq; instrumenta, in pluteis recondita servant, nec iis nisi rarissime utuntur: Ita quidni reperire sic Grammaticum & Logicum, qui nec ad Philosophiam, nec ad Medicinam actu utatur. suà Logica, Grammatica suà, sed mente locum eam circumferat, possideatq; absq; usus: Quod hodie Critici & Philologi nostri faciunt, meri puri q; aucupes verborum: Grammatici tamen, Logici tamen. Manet interim Grammatica, manet Logica: sed desinunt esse instrumenta; Veluti nec cives sua pocula aut vestes perdunt, licet tum non subeant rationem instrumentorum.

### I. GRAMMATICA.

Hæc prima est inter artes instrumentales, cuius in Philosophia artibusq; nonnullis usus est maximus. Nec enim vel discimus, veld docemus, aut cognoscimus quidquam absq; oratione. Orationem vero informat Grammatica. Quo vero usus, hujus artis

C 2

com.

communior est, eò & ipsa magis necessaria: quæ causa, quod primo omnium ineunte protenus ætate, huic disciplinæ addiscenda incumbamus. Grammaticæ Systema compendioüm ita habet. *Subiectum* est Oratio, quatenus est vel esse debet congrua. Illa res considerata: hic modus vel ratio considerandi à fine petita; qui est, ut paulò post dicam, congruitas. *Oratio* vero, ut totum quid, per Methodum analyticam, artibus propriè destinatam, ut monuimus, resolvitur in partes, ex quibus constat. Partes vero sunt literæ. Itaq; priñ omniū de literis, harumq; characteribus, numero, pronuntiatione, divisione, in Grammatica agitur. Ex literis porrò confit syllaba, ex syllaba vox, ex voce integra oratio. Hucusq; de subjecto. Nam jam ante monui in conditione quinta Instrum. in artibus instrumentariis exilen reperiri subiecti & finis explicationem. Totam fere operam ponit in instrumentis. *Finis* Gram: est ipsa congruitas, elegātia, & proprietas orationis introducenda; ad quam rem & ad quod opus, Adminiculis, seu Mediis, seu *Instrumentis* polydædalis utitur Grammaticus. Cæterum Oratio dupliciter potest proferri, *scripto* & *loquela*: Principio omnium Orationem eleganter & rectè scribere docet

Gram-

Grammaticus per certas quasdam Regulas, adhibitis ad id instrumentis, Calamo atramento, & papyro. Hoc quæ præstat Grammatices pars. *Orthographia* dicitur. Hodie Batavi elegantissimas ad nos propagarunt formulas, literas ornate nitideq; pingendi, tam facili, & evidenti Methodo, ut nemo non proprio genio, paucarum horarū spacio, omne hoc artificium apprehendat. In *Loquela* duo spectantur, vox ipsa aut *Oratio*; & pronunciatio, seu accentus, seu modus proferendi orationem. Vox verò ipsa, vel simplex est, solitaria: ita eam tractat Etymologia: vel est conjuncta, seu composita, seu integrā *Oratio*; ita ad Syntaxin pertinet. Pronunciatio ipsa vocatur alias *Prosodia*. De tribus his partibus, Etymologia, Syntaxi & Prosodia, id est, de voce simplici, ac integra Oratione, de accentu ac pronuntiatione utriusq; hoc breviter adjungo. Omnis vox simplex, vel nomen est, vel pronomen, vel verbum, vel participium, vel adverbium, vel Con: vel præp. Instrumenta seu Media per quæ nominis cognitio in oratione acquiritur, sunt Genus, Declinatio, constans Numeris, casibus, figura, & cæteris de quibus agi solet in Grammatica; quæ omnia sunt notiones secundæ, & Entia rationis, ejusdem

in hac arte usus, cuius in Logica sunt prædicia  
lia, enunciationes, subiectum, prædicatum,  
major, minor. Ita ad Pronomen, ad  
verbum, cæterasq; Orationis particulas con-  
grue proferendas, adhibentur peculiaria in-  
strumenta, quibus totum Systema hujus artis  
repletum est. Poterit aliquis hanc Gramma-  
tices partem perfacili labore & non multo  
tempore discere, seu Græcum seu Latinum  
quis idioma desideret, dummodo rectam,  
& convenientem insistat viam. I. Utraq; lin-  
guæ habet numerum vocabulorum radica-  
lium, ex quibus ut radicibus, quidquid uspiam  
est in universa dialecto, enascitur. Eas radices  
Græcæ quidem linguae collegit E. Lubinus  
in clavi: Latinæ vero Faber Soranus, quas  
qui memorie impresserit, quod paucarum  
septimanarum spacio fieri potest, eum nihil  
in universo sermonis ambitu latere potest,  
quod vel non intelligat, vel non sciat nominare.  
Ita vero ediscendæ sunt, ut non negliga-  
mus genus, quod protinus ab authorib. istis  
cuiq; radici adscriptum est. Atq; ut genus fa-  
cilius hæreat, adjungendum est Radici epi-  
thetum. Ita non opus erit, peculiari labore  
vocabula apprehendere, & postmodum alio  
eonatu genera vocabulorum.

II. Animo quoq; comprehendendæ sunt

for-

formulæ declinationum & conjugationum, idq; per postremas solum litteras. In his duobus consistit tota Etymologia de vocabulis simplicibus. Vocabula porro conjuncta, seu integra Oratio ( cui debetur Syntaxis ) congrua efficitur, ad miniculo certarum quatruplicem Regularum, quæ h̄ic instrumenti vi- cem sustinent. Has regulas, primo dare ope- ram oportet, non ut ita recensere valeamus, quemadmodum graculi aut picæ solent, absq; intellectu, quod hodie fieri in Scholis assolet, magna & temporis & ingeniorum jactura, sed ut ante omnia intelligantur perfectissimè. Dehinc ut cuiq; Regulæ phrases subjungan- tur & elegantes, & multæ, & usus quotidiani. Ea ratione brevi tempore comparabit sibi, aliquis non omnino stupidus, locupletissimam suppellectilem congruæ, ornatæq; orationis. In hunc finem dedi adolescentium usui & stu- diis Eloquium latinum. Præcipua tamen Syn- taxeos vis, & nervus, imo anima ipsa consistit in exercitiis tam loquela, quam compositio- nis. Postrema est pronuntiatio seu Prosodia, cuius instrumenta vel media itidē sunt regulæ, per multas observationes, ex Poetarū scriptis erutæ. Hæc Grammatiees particula, si certis numeris, mensuris, & vinculis quasi coercea- tur, aliud sumit nomen, diciturq; eam ob cau- sā Oratio ligata, vel Pœtica, de qua pauca adjungo.

C 4

POE-

## II. POETICA.

Zabarel. lib. 2. de nat. Log. insolitum quid & inauditum docuit de arte poetica, eam ( quemadmodum & Rheticam ) nulla ratione esse instrumentum Philosophiae universale, sed solum disciplinæ civilis. Tum insuper non Grammaticæ, sed Logices esse particulam, non minus quam Dial. Apodict. Sophisticam. Primum non ancillari Philosophiae Theoreticæ, quia hujus sufficientia instrumenta sunt Dial. Apod. Sophistica. Nō artibus, quia id esset nimis vile. Omnes enim artes Mechanicæ, & abjectæ & illiberales. Non deniq; Philosophiae morali, quia hæc absq; Poesi intelligatur & exerceatur. Superesse solam disciplinam civilem, cui ancilletur; sed quomodo? persuadendo homines ad actiones, idq; beneficio Exempli. Exemplum verò quia est Syllogismus Logicus, quamvis imperfectus, idcirco poesin quoq; esse partem Logices. Ut à Refutatione postremi hujus exordiar, si illud protenus habendum est pro parte Logices, quod instrumentis Logicis utitur, ad suum finem consequendum, velut Poetica utitur exemplo, dic mihi, quidnam supermanebit disciplinarum, quod non actuatum sit pars Logices? Medicina utitur Syllogismo Dialectico: Physica Apodictico, ea-

dem

dem ratione qua Poetica exemplo. Si jam hæc ob usum exempli dicenda est pars Logices, etiam Physica & Medicina erunt Logices partes. Da enim rationem diversitatis. Quod Zabarel. porrò inculcat, non esse alium *finem* poesios, quam suasionem & actionem, id cum omni pugnat sano sensu. Lucretium Poetam esse nemo negat: item Macrum: item Nicandrum & Virgilium in Georgicis, & Ovidium in Fastis, & Oppianum in Halieuticis. Horum verò nullus est, qui hominibus suadeat, aut eos hortetur ad actionem civilem. Tradunt verò vel cognitionem naturæ herbarum, animalium, vel Cœli, anni, aliarumq; rerum. Vides falsum esse Zabarellæ fundamentum, quod habet, Poesin non esse instrumentum Philosophiæ Theoreticæ: quippe quæ non compareretur ob cognitionem, sed solam actionem civilem. Velut Logica est instrumentum catholicum omnium scientiarum, & totius Philosophiæ, neq; magis cognitioni, quam actioni; περίξει quam μήτει servit, quomodo Poesis soli actioni simulabitur, & tamen erit nihilominus pars Logices? Ais Phil. Theor. nō indigere Poesi, quia contenta sit Dial. Apod. Sophist. At ajo ego, hac ratione nec Philos. civilem indigere Poesi, quia eadem Dial. Apod. Soph. satis

C f

suffi-

sufficiunt illi pro instrumentis. Audio porro  
nec artibus inservire, quia id esset abjectum  
nimis. Quasi vero omnes artes essent sordi-  
dæ, ut nequiter judicavit Zabar. Quo enim  
loco Medicina ponetur? Quam non minus  
Reges coluerunt & principes, quam Poesin?  
Et quidni elegantes poetæ Medici, res medi-  
cas carmine æque describerent, quam actiones  
civiles? Habemus Fracastociū, habemus Sere-  
num, & Macrum, qui carminibus Medica tra-  
ctarunt. Et non ita pridem Sim: Portium qui  
medicinam practicam eximio carmine com-  
plexus est. De Philosophia morali fateor, in  
telligi & exerceri posse absq; poesi; sed & ex-  
ercetur absq; Logica: Actio enim secundum  
virtutē instituta, parum pensi habet: quid de  
Modalibus, aut Elenchis, aut figurarum nume-  
ro statuat Logicus. Tamen nihilominus Logi-  
ca maner instrumentum Philosophiæ. Quidni  
ergo & Poesis. Nostra talis est sententia. Poe-  
sios essentiam consistere in formanda oratione  
ligatâ, certis metris & mensuris inclusâ. Ora-  
tio vero, quia subjectum est Grammatices, etiā  
Poesin esse particulâ Grammatices; & quidē  
nihil aliud, quam accuratam Prolocliam. Jam  
vero, ut Grammatica est Catholicon instru-  
mentum Philosophiæ, & artium liberaliorum,  
ita & Poesin itidem esse consimile instru-  
mentum. Ea si artificiosis metris inclusas  
tractat

tractat res Physicas, sit instrumentum Physicæ : Si medicas, medicinæ : si Divinas & Theologicas, Theologiae. Quemadmodum in hac Palæstra David Propheta Poesin in signiter & calluit, & exercuit, Logices, fortean Aristotelæ prorsus inscius.

### III. RHETORICA.

Nos Rheticam non minus quam Logicam facimus artem instrumentalem universæ Philosophiæ & artibus liberalibus famulantem. Artem, inquam, quæ peculiare Imperium, & suam sibi perfectionem habeat: non vero sit particula alius. cuiusdam artis. Zabarel, l.z. nat. Logices, Idem de Rheticâ docuit, quod de Poesi. i. Non esse instrumentum totius Philosophiæ; sed solum disciplinæ civilis, seu Politicæ. z. non constitutere peculiarem artem, sed esse particulam Logices, hanc minus quam Dial Apod: Sophisticam; ipsamq; Poesin: Fundamenta hujus Paradoxi non affert alia, quam quæ jam de Poesi recensuimus, quorū refutatio exinde petipotest. Addit vero de Rheticâ hoc in specie, quia finis ejus est persuasio, nemo vero seipsum persuadet, sed solum alios, hinc sequi, Rheticam non habere usum nisi in illis disciplinis, quæ versantur in aliis persu-

dendis,

dendis, qualis est Politica. Itaq; hujus solius esse instrumentum. 2. Tum porrò Enthymema esse Syllogismum Logicum imperfectum. Rheticam vero totam consistere in Enthymemate, ad certam materiam, sc. civilem applicando; velut Dialectica ad materiam contingentem, apodictica ad necessariam, Sophistica ad falsam. Itaq; ut has, sic & illam esse partem Logices; præter hanc argumentationem, quicquid in Rheticâ traditur, id esse heterogeneum: neq; elocutionem, amplificationem, ornatum & elegantiam orationis, uti neq; affectuum concitationem esse de essentia Rheticæ; sed solum Accidentarium quid. Oratorem etiam eum esse, qui sucese proponit: Dialecticum, qui prolixè, & ornate. Differre utrumq; non alia ratione, quam solo fine. Dialectici enim finem esse nudam cognitionem; Rheticis vero actionem; Utrumq; uti Syllogismo; illum quidem perfecto, hunc imperfecto, cui altera desit proposicio utpote j. m ante nota.

Quod si quæsiveris ex illo, qui fiat, quod Aristoteles Rheticam non tradiderit in Organo Logico, ut Dialecticam, sed proprium illi opus assignarit; Respond.:; Dial. Apod. Soph. esse instrumenta Philosophiae Theoreticæ, Rheticam vero Philosophiae

practicæ

practicæ civilis: illam vero nobiliorem esse  
hac. Itaq; instrumenta illius præcedere, &  
per consequens , prius agendum fuisse de  
Dial. Apod. Soph: post de Rhetor: Sed tamen  
Rheticam esse veram Logices particulam ;  
quæ apto loco proponatur , post absolutas  
tres illas particulas Logices. Hæc Zabarelli-  
na breyiter sunt discutienda. In eo præcipue  
falsus est Zabarella, quod cum videret Rhe-  
torices finem esse persuasionem, existimavit  
nullam esse persuasionem, nisi in disciplina ci-  
vili , adeoq; hujus solius Organon esse Rhe-  
ticam. Nec civit etiā Metaphys. Mat. Phys.  
Medicum, Theol. Juris, revera & proprie lo-  
quendo persuadere : Itaq; non minus quam  
Politicam indigere adminiculo Rheticæ.  
Quid enim est persuasio? Si Aristoteli, Cice-  
roni, Quintiliano fidem habemus , nihil est  
aliud persuadere , quam Oratione probabili  
in cuiusvis animo , aliquam gignere opinio-  
nem: At omnis Philosophia, artesq; liberales  
gignunt in animis auditorum , discipulo-  
rumq; suorum, opinionem aliquam ; Oratio-  
ne probabili. Omnes ergo persuadent : O-  
mnes ergo Rheticæ utuntur ut instrumen-  
to: Proinde Rheticæ non minas quā Gram-  
mat Logica , est generale instrumentum to-  
tius Philosophiae. Oratio probabilis includit

omnem

omnem materiam contingentem , necessariam , Sophisticam : per hæc tria enim probamus, id est, probabilem , & persuasivam facimus Orationem. Opinio etiam non significat angustissimè solam incertam dubiamq; rei cognitionem; ( nam ita nec in civili quidem disciplina semper dabitur persuasio , aut Rhetorica; quum hic s̄æpe firmissima nascatur cognitionis scientia, atq; scientia rei eius, quæ persuadetur ) sed omnem cognitionem & scientiam. Deinde Enthymema est quidem considerationis Logicæ , ut Syllogismus Dial. Apod. Sophist. sed eo quod Rhetorica Enthymemate utitur , non protenus erit particula Logices. Eo etiam Medicus, etiā Jurisperitus & Ethicus utuntur. Hæc iterum sunt falsa fundamenta: Eum habitum qui speciem aliquam Syllogismi applicat ad peculiarem materiam, fieri peculiarem partem Logices. Logica certè nihil quidpiam rei habet cum rebus : Syllogismus omnis à Logico explicatus , nudè consideratur. Eum post unaquæq; disciplina ad suum applicat subjectū & finem : Physicus ad rerum naturalium cognitionem, unde tum Syllogismus specificatus dicitur Apodicticus, quia applicatur materiae necessariæ; sed tamen tum non amplius pertinet ad Logicam, verum ad Physicam. Ita idem Syllogismus

usur-

usurpatus ab Ethico , à Medico , in virtutis , & sanitatis acquisitione , sit Dialecticus . At tum proprius est Ethicæ , & Medicinæ , non Logicæ . Ita idem Syllogismus adhibitus ad persuadendum , & producendam aliquam opinionem , quæcunq; tandem illa sit , in animo auditorum , tum proprius sit Rheticæ , neq; amplius pertinet ad Logicam . Notum est discriminem inter Logicam docentem , & uscentem ; Logica docens est instrumentum Catholicum omnium habituum . Logica autem , sit ipsa disciplina cui applicatur . Ita Enthymema , vel Syllogismus etiam perfectus (nam falsum quoq; est , quod Zabarel ait , Rheticam uti solum Enthymemate , non vero etiam Syllogismo perfecto , cum Cicero & Oratores Græci sèpissime perfectis Syllogismis usi sint ) applicatus materiæ persuasibili , jam sit Rheticus & desinit esse Logicus . Consimiliter ratione falsum quoq; est , præter Syllogismum Dial. Apod: Sophist. dari Enthymema , seu Rheticum . Nihil Enthymema differt à tribus illis , neq; peculiare aut quartum constituit genus . Nam non dantur plura rerum genera in Mundo , quam tria ; contingentia , Necessaria , falsa : Enthymema vero est de rebus vel conting: vel Necess: vel Fals: igitur Enthymema omne , vel erit Syllogismus

Dial.

Dial. vel Apod. vel Sophist. nec potestab hisce tribus sejungi , eo quod referatur ad actionem civilem. Nam actiones civiles , annon & ipsæ sunt contingentes ? Est alia absurditas : solam argumentationem esse propriam Rhetorices. Orationis splendorem & amplitudinem , itemq; affectuum commotionem esse parerga. Sic argumentor. Heterogenea sunt , quæ nihil ad essentiam rei faciunt, & sine quibus res bene esse potest : At sine ornatu Orationis , sine affectuum concitatione , nulla potest esse persuasio oratoria. Ornatus igitur orationis , & affectuum commotio non sunt Heterogenea in Rhetorica , cuius finis est persuasio. Qui sine his persuadere conantur , idem præstabunt , quod pauper , empturus sericum , & tamen pecuniae carrens: Surgat aridus quispiam & exsuccus Orbilius , & Argumentationibus ac Syllogismis quibusdam nudis , in forma modoq; compositis , & paupere sermonis simplicitate prolatis , absq; verborū conatu & phaleris , absq; commotione affectuum confuadere conetur populo & senatui , alioquin alieno à pace , ut injurias sibi à viciniis illatas æquo ferant animo : An tu illum Oratorem aut Rhetorem vocabis ? Econtra surgat aliis , non steriles profrens Syllogismos , sed unā operā elegantissi-

mos

mos orationis flosculos spargens, & verba depromens, quasi sesamo & papavere condita, qui laudibus prosequatur suæ Reipubl. formam, vel excellentiam vitæ Theoreticæ, & masculè commoveat affectus in populi atq[ue] Senatus animis, huncne tu dices Dialecticum potius, quam Rhetorem & Oratorem, quamvis prior ille pro scopo & fine habeat actionem civilem, hic meram cognitionem? Illud esset invertere naturas & nomina rerum. Ego vero non vererer nominare stultissimos & ineptissimos, Aristotelé, Ciceronem, Quintilianum, qui hujusmodi heterogeneis & parergis tradendis omnē suam occuparunt operam. Quid enim in horum libris Rheticis crebrius, quid accuratius, & prolixius explicatum invenitur quam ornatus Orationis, & affectuum commotio? Postremo ex ipsis Aristotelis operibus luce meridiana liquet clarus, non illum ita de Rheticā egisse, & postposuisse Logicæ, quasi illius foret particula; sed quia peculiarem constituit disciplinam peculiari opere explicandam. Quam nos sententiam & verissimam esse arbitramur, & tali insuper argumento suffultam volumus: Ubi sunt omnia requisita essentialia, ad artem peculiariter constitutandam, ibi est Ars peculiaris, ab aliis distincta:

D

At

At Rhetorica possidet omnia requisita, omnes partes essentiales, quæ integrum artem absolvunt. Est ergo ars integra; non particula alicujus artis. Hujus Syllogismi demonstratio consistit in cognoscendo integro systemate & constitutione Rhetorices, quam tales damus, succinctè & breviter, quantum instituti ratio patitur.

*Subjectum ejus est auditor, vel animus auditoris, quatenus debet persuaderi. In hunc introducitur Finis Rhetorices, qui est persuasio, per convenientia media, quibus repleta est tota Rhetorica: Velut in hominem agit Medicus, & in aurum Autifex, introducendo iis finem, ille quidem sanitatem, hic figuram annuli: Ita in auditorem agit suâ Oratione Orator, vel Rhetor, atq; finem suæ artis, persuasionem sc. in illum introducit. Hic finis Rhetoricæ ab Aristot. l. t. Eth. c. 2. constituitur, nec potest eo perfectior nec aptior dari. Quamquam enim Rhetor non semper persuadeat, id nihil impedit quo minus persuasio sit ejus finis; non minus quam sanitas Medicinæ finis manet, quamquam Medicus non semper sanet. Persuasio vero est productio alicujus opinionis, aut cognitionis in animo auditorum. Neq; solum ad περί την civilem astringitur, ut Zabarel. visum,*

scd

sed etiam ad *geweias*, & *mīnorū*, adeoq; Rhetorica generale est instrumentum omnium disciplinarum liberalium. Nam de miseria hominis, de sanitatis præstantiâ, de DEO & angelis, de cœlo & circulo, Rhetor ornato affectuosoq; dicendi genere petractat, inq; suam sententiam pertrahit multos, quorum fores frustrâ argumentationibus solum pullasser Dialecticus, Apodicticus, & Sophista aliquis. Subjectum & finem sequuntur *Instru-*  
*menta*, quorum in Rhetorica messem metere licet uberrimam. Ut evitetur confusio, constituimus unum Catholicum Organon Rhetoricae, quod est Oratio probabilis, ornata, & affectuosa: probabilem faciunt argumenta, ornata figuris Tropisq;: affectuosam, commotio pathematum. Argumenta initio omniū sunt excogitanda & invenienda: Hinc enata est pars Rhetorices, quæ dicitur *Inventio*, cuius fundamenta petuntur ex Dialectica, seu Topicâ, quæ est de Locis. Ut Medicus sua instrumenta seu medicamenta, petit ex Physica, sic Rhetorica sua ex Dialecticâ. Sunt vero certa quædam capita, velut pyxides Pharmacopolarum, ex quibus ordine dispositis peti & depromi possunt argumenta, probabilem Orationem facientia, quales sunt *Definitio*, *Divisio*, *antecedentia*, *conf.*

Inventa verò, non quoquo modo, sed apposite dirigenda, ut ordo aliquis habeatur. Hic ancillatur pars, quæ dicitur dispositio. Nec enim quodvis quovis loco poni amat. Etiam Dispositio per certa capita traditur, quæ sunt; Exordium seu præambulum Orationis, in quo ponuntur illa argumenta, quæ Orationum animos ad auscultandum præparant. Narratio, Propositio, Confirmatio, Refutatio, Peroratio, seu Conclusio. Vide nostram Euphradiam seu Methodum formandarum Orationum. Cæterum cum Rhetorica sit Organon totius Philosophiæ; Hæc vero maiorem possideat varietatem rerum; Res autem omnes una eademq; ratione, nec argumentis probari nec disponi possunt, etiam hic instrumenta excogitata sunt, quorum ope de singulis rebus compendiosè inveniri possit id, & postmodum disponi, quod facit ad persuasionem comparandam. Itaq; omnia quæ operationi Rhetoris seu persuasioni subiecta sunt, & pro quibus invenienda sunt, mox que disponenda argumenta, reducuntur ad quatuor summa genera, quæ vulgariter dici solent generâ causarum, suntque Didascalicum, Demonstrativum, Deliberativum, Judiciale. Ad Didascalicum referuntur omnia, de quibus cum persuasione.

4708 Vol.

docen-

docendi sunt homines : ad Demonst. Laudes & Vituperia : ad Deliber. Consultationes de variis rebus. Ad judiciale, Lites forenses, Pro persuadendis rebus, Didascalico generi subjectis, aliter inveniuntur argumenta; aliter pro demonstrativo : aliter pro cæteris. Quomodo autem juxta quodque horum debeant inveniri & disponi Orationes, id allegato opusculo à nobis est demonstratum, neq; hoc referre patitur hujus tractatus compendium. Sic igitur & inveniri & disponi convenient argumenta, quæ Orationem, ut dixi, faciunt probabilem : Jam porro eadem Oratio exornanda est elegantibus pigmentis, & decoro venusto sermonis. Neq; enim satis est argumenta inventa dispositisse ordine, quin oportet etiam eadem vestitu quasi regali induere, & ita producere in theatrum, ne elegans, paupera, exsucca, & inepta accidant auditoribus. Hic aliud se offert instrumentum Rheticum, Elocutio scilicet, quæ polydædalas figuræ, Schemata & Tropos, partim in una simplici dictione, partim in tota periodo spectatas, & consimiles elegantias, docet adhibere, atq; iis Orationem polire : Tertio, affectuosa quomodo fieri debeat Oratio, etiam præcepta & instrumenta apud Rhetores existant, quæ videri poterunt. Nos studemus

brevitati. Atq; hoc quidem pacto debite instructum & adornatum est instrumentum Rheticum, Oratio sc. probabilis, ornata, affectuosa : quæ postmodum, si cum gratia pronuncietur ad auditores, (quorsum facit postrema Rhetorices pars pronunciatio) jam dubium non est, quin persuasio, id est, finis, in subjectum, id est, animos auditorum, introducatur. Atq; hæc una est Rhetorices constitutio. Si quis volet etiam sequenti ratione eam conformare, non magnoper pugnabo. Rhetorices subjectum est Oratio; quatenus fieri ornata debet: Finis est ipsa elegantia, & ornatus: Instrumenta sunt loci Topicæ: itemq; partes Orationis Rheticæ, Inventio, dispositio &c.

#### IV. LOGICA.

Hanc esse Philosophiæ instrumentum, nemo hactenus vocavit, quod sciam, in dubium. In eo tamen falsi sunt plæriq; quod eam proclamarint instrumentum Philosophiæ solius, non vero etiam aliarum artium. Nec Medicina, nec Theolog. nec Jurispr. propriæ Philosophiæ partes sunt. Tamen Logices utuntur adminiculo. Logices constitutio nervosa hæc est. Subjectum ejus non sunt res omnes, ut suprà monuimus, sed animus

huma-

humanus, quatenus dirigi debet, in cognitione rerum. Hæc directio, vel informatio est *fīnū Logices*, introducendus in subjectum, seu animum, per instrumenta Logica. Animi vero seu mentis nostræ, tres sunt operationes: simplicium rerum apprehensio: earundem conjunctio & divisio: de iisdem discursus & ratiocinatio. Apprehensioni simplicium serviunt, notiones secundæ simplices, Prædicabilia, sc. Genus Spec: Diff. Prop. & Accid. quæ sunt instrumenta, quibus dirigitur animus in cognitione rerum simplicium. Res vero omnes simplices inclusæ sunt decemsummis generibus, quæ prædicamenta vocantur. Unumquodq; horum ordinatâ & artificiosâ serie est dispositum, beneficio ditorum prædicabilium, ut ita difficulter in iis cognoscendis hallucinari possit animus. Secundæ operationis animi instrumenta sunt enunciationes, seu propositiones, quarū regulas & conditiones, & affectiones plurimas tradit secunda pars Logices, ab Aristotele dicta *ἐργανήσια*. Postremò integrum discursum & ratiocationem dirigit Syllogismus, nobilissimum Logices instrumentum. In Syllogismo duo dantur, forma & materia. De forma Syllogismorum sunt Analytica priora; quò pertinent tres vel quatuor Syl-

logismorum figuræ: tum cujusq; figuræ modi variæ: itemq; variæ Syllogismorum species, Categoricus, hypotheticus, Enthymema, Exemplum, Inductio, Sorites &c. Materia Syllogismorum est triplex, Contingens, Necessaria, & Falsa. De contingente docet Dialectica vel Topica: de Necessaria, Apodictica vel Demonstratio, tradita posterioribus Analyticis. De Falsa Sophistica, vel Elenchi Sophistici. Unamquamq; sigillatim explicatam dedit Aristoteles, non quod ad Logicam ullæ pertineant res, quales enim illæ sunt, necessariæ, contingentes &c. *(est enim non ēπιστήμη, sed ἡγόνης ēπιστήμης)* sed ut mens discat modum cognoscendi, & ratiocinandi de rebus omnis generis: Res aut materiae pro exemplis saltem adducuntur: Arist: solis litteris usus est Alphabeticis. Plenius Logices systema exhibet nostra Cynosura bona mensis.

#### V. MNEMONICA.

Hæc ita se habet ad memoriam, aut reminiscientiam, quemadmodum Logica ad rationem. Non minus in rerum retinendis speciebus errabat memoria, quam errabat intellectus in earundem rerum cognitione. Mnemonicam in præcepta rededit & nobis reliquit Cicero l.3. Heren: In ea se oppidò exercuerunt præter Ciceronem, Seneca l.1.

Con-

Controv. Plin. l. 7. c. 24. Quintil. l. II. Polydor.  
Virgil. l. 2. c. 9. Muretus l. 3. v. L.

Constitutio Mnemonices talis sit. Mnem.  
si referatur ad Philosophiam aliasq; artes.  
instrumentum earum est, quemadm. & Lo-  
gica. Si absolute, & in se consideretur, est ars:  
consistens in tribus istis. Sæpius memoratis.  
*Subiectum* Mnemonices est Reminiscentia vel  
Meimoria, quatenus rerum species promptè  
apprehendit, retinet, & deponit iterum.

*Fīnīs* est ipsa instructio & directio Memo-  
riæ, ut facile, cito, tenaciter, & ordine res  
multas apprehendat; apprehensas retineat,  
& conservet: conservatas iterum deponat  
cum animus jabet.

Instrumenta sunt Loci & Imagines; Loci  
eliguntur multi, commodi, ordine sibi pro  
quolibet vocabulo memorando unus, Im-  
agines animo concipiuntur in loco collocari,  
habentq; similitudinem cum rebus retinen-  
dis. Per hos locos & imagines, ceu instru-  
menta, mirabili promptitudine vocabula &  
res memorie imprimuntur, & ordine ac diu-  
retinentur, de quibus prolixius in nostra  
*Mnemonica.*

## VI. MEDICINA.

Medicinæ Systema ex Porticu Æsculapii  
nostrî, deponitum ad hanc faciem consti-

D. f.

tutum

tutum est. Subjectum adæquatum non est corpus humanum, sed omne animal perfectum, quod sanitatis & morborum particeps est, à natura; Animal, inquam, quatenus lanaabile: qui modus considerandi à fine petitur? Finis enim medicinæ est sanitas, in animal introducenda, per Instrumenta seu Remedia. Ab hoc universalis medicinæ subjecto, possunt abscindi particulæ quædam, & fieri Medicinæ speciales, ἀνθρωπαργία quæ pro subjecto hominem sumit, omniumq; est nobilissima, & à nobis exercetur: Veterinaria, mulos, equos: κυνιαργία canes: Imo & varias unius hujusmodi speciei partes, ut Ophthalmici, solos oculos; Lithotomi solos renes, & vesicam, quod ipsum olim apud Romanos in usu fuisse alibi docui. Subjecti cognitio primo omnium loco ambulat. Eā tradit ille medicinæ pars, quæ Anatome dicitur, quæq; accurate rimatur & scrutatur structuram, atq; conformatiōnem omnium corporis membrorū, exterorum juxta atq; internorum, quæ tribus magnis ventribus continentur, capite thorace, ab domine: Subjecto proximè adjungitur Finis, ipsa scil. sanitas, ad quam omnia in Medicina collineant, velut ad ultimum scopum, quæq; animali seu subjecto est inducenda: Sanitas, inquam, non præsens, aut hujus

conser-

conservatio (ubi jam adeat finis artis, ibi cessat omnis artis operatio) sed absens & ab anima-  
li remota. Sanitas vero consistit in tempe-  
ramento, Idiosyncrasia, spiritibus, humo-  
ribus adeoq; actionibus integris & naturæ de-  
bitis. Itaq; de his omnibus agit medicina,  
eaq; accurate cognoscit. Non enim ignotum  
esse finem oportet. Addunt nonnulli expli-  
cationem Elementorum, mixtionis, itemq;  
theoriam facultatem animæ, &c. sed ea re-  
vera heterogena sunt, & ex Physica male  
transferuntur in Medicinam, quin eorum  
cognitio præsupponitur. Nam Medicum  
jam antè Physica instructum esse oportet.  
Vel etiam non tam ad finem hæc pertinent,  
quam ad subjectum. Ubi enim de membro-  
rum structura agitur, ibi simul agit de eo-  
rundem generatione, animæq; facultatibus.  
Sanitatem sic explicatam & cognitam exci-  
pit mox morbus illi contrarius. Contrario-  
rum siquidem eadem est disciplina; Et sanitas  
è subjecto expulsa est per morbum, iterumq;  
si restitui in subjectum debet, ut morbus ex-  
pellatur necesse est. Hæc est Pathologia, id  
est Catholica, seu generalis explicatio mor-  
bi, causæ morbi, & accidentium seu sympto-  
matum morbi. Jam vero morbus expelline-  
quit, & sanitas revocari, nisi qualis sit morbus

cogno-

cognoscatur. Cognosci vero nisi persigna nequit; hinc pars medicinæ Simejotica, de signis tam diagnosticis, quæ præsentem morbum ostendunt, quam prognosticis, quæ de ejus futuris eventibus, nos docent. Prognostices vero nobilissima pars est, doctrina Crismum, & dierum Criticorum, in quibus sit naturæ pugna cum morbo, ostendens qualis sit futurus morbi exitus. Postremo loco sunt Instrumenta Medica, per quæ sanitas profiliata reducitur, & morbus præsens protruditur ex subjecto. Eainstrumenta sunt triplicia; Diæta, Pharmacia, & Cheirurgia. Diæta complectitur omnem victus rationem, positam in usu probo sex rerum, ut vocantur, non naturalium, aeris, cibi potusq; somni vigiliæq; motus & quietis, excretorum & terentorum, ac animi affectuum. Pharmacia medicamentorum dextro & legitimo usu absolvitur. In medicamentis spectatur Materia & Forma; Materia medicamentorum est triplex, petiturq; omne pharmacum, vel à vegetabilibus seu plantis, vel à mineralibus, vel ab animalibus. Huc pertinet Botanica, in qua se æstivis temporibus exercere solent Philiatri. Formas medicamenta recipiunt varias, liquidas, medias, crassas. Modo enim efformantur in pilulas, modo in Em-

plastra,

plastra, pulveres, potiones, electuria, olea, salia, essentias, tincturas. Cui rei utibilem operam locat Vulcanus, i. e. ignis & fornaces. Hæc est Chemia, famula Pharmaciæ, quæ adminiculo fornacum, vitrorum, & ignis, multis mirisq; modis tractat, resolvitq; medicamentum in excellentes formas, præparatq; vegetabilia, mineralia, & animalia. Cheirurgia ultima est instrumentorum Medicorum sibi boles, quæ hodie (ut & Φαρμακευτική) à Medicina segregatur, & singularis ars sit. Ea nihil est aliud quam manualis operatio, seu applicatio manuam, & Organorum quorundam. Sunt enim morbi plurimi qui fugari nequeunt, nisi ferro, igne, novaculis, curcurbitulis, scalpellis, ferris, spatulis turundis, & id genus instrumentis aliis. Præter hæc tria membra, subjectum, finem & instrumenta, etiam *Species* dantur in medicina, species sc. affectuum morborum & Symptomatum, quæ obseruantur speciales corporis partes, possuntq; dividiri pro membrorum diversitate, in exteros & internos. Utriq; iterum vel capitis, vel thoracis, vel abdominis, vel Artuum.

## VII. PHARMACEUTICA.

Si concipiatur integrum Artis medicæ Systema, tum Φαρμακευτικὴ est illius aliquotæ portio, pertinens ad instrumenta, quorū præparatio-

parationem sibi vendicat. Ast vero si hæc medicamentorum præparatio , hæc pars præcidatur à tota arte , & feorsim constituatur ; jam sit ars peculiaris & distincta ( alternata tamen Medicinæ ) non aliter quam fœtus, quamdiu matris adhæret utero , pars matris censetur : Ubi ab ea separatus fuerit, peculiaris fit homo, propriamq; suam à matre distinctam existentiam possidet.

Pharmaceutices subjectum sunt medicamenta omnis generis, è triplici rerum naturalium Regno , Mineralia, Plantæ , Animalia. In hæc Pharmacopæus agit: ea præparat, immutat, corrigit, varieq; disponit, ut aptam suscipiant formam. Finis est conveniens, eaq; multiplex forma, quā medicaminibus conciliat ut apta fiant. Morbis & partibus differt Pharmacia à Chemia, tanquā totum à parte. Chemiasolum nobiliores & exaltatas formas concinnat Mineralibus vegetabilibus &c. at Pharmacia omnis generis formas miscendo & componendo producit crassas, liquidas, siccas, humidas, medias, pulveres, electuaria emplastra, unguenta, Julapia potiones &c. Instrumenta pharmaceutica sunt ignis, fornaces, spatulæ, mortaria cum pistillis, pyxides, & universus ille organorum apparatus, quem officinæ horum articulatum ostendunt.

VIII. CHEI-

## VIII. CHEIRURGIA.

Hæc tam est pars medicinæ in tota latitudine spectatæ, quam peculiaris ars; seorsim à medicina considerata, & quasi abscissa: Interim ei subalternata. *Subjectum Chirurgiæ* est corpus humanum, quatenus manuum operâ sanabile: Quicunq; morbi manuum adminiculum poscunt, præter medicamenta, illi ad *Chirugos* pertinent; ut hinc etiam hæc ars appellationem suam nacta sit.

*Finis idem* qui totius medicinæ scilicet sanitas. *Instrumenta chirurgica* præcipua sunt manus, ὄργανον ὄργανων: deinde medicamentorum quædam species, emplastra, unguenta, olea; cerota: porrò spatulæ, forfices, turundæ, lanceolæ phlebotomicæ, trepana, & id genus plurima alia, quibus dextrè, tutò, & jucundè uti novit elegans & expertus *Cheirurgus*.

## IX. CHEMICA.

*Subjectum* hujus artis est corpus perfecto mixtum, tam inanime, quam animatum, quod Physici triplex esse norunt, Minerale, (sub quo lapides, succi cōcreti, Metalla) Vegetabile, & Animal. Hujusmodi ergo corpus est res considerata, Modus considerandi est, quatenus illi conciliari debet forma & essentia nobilior, & aptior ad usus medicos.

*Finem Chemiæ* qui statuunt opus aut pragma,

gma, illi nesciunt distinguere inter genus, & speciem. Ars est genus Chemiae: Opus est genetalis artis finis. Chemia est species; Ergo pro fine postulat speciale quid. Pragma & opus non magis est finis Chemiae quam sutoria. Qualis sit æquatus hujus artis finis, jam ante innui, dum assignavi modum considerandi, qui semper solet desumi à Fine. Est scilicet forma aut essentia exaltata, purificata, resoluta, pro nobiliori & salubriori usu Medico, qualia sunt aquæ destillatae, olea, salia, extracta, tincturæ, spiritus &c.

*Instrumenta* vel media Chemica non sunt operationes, ut nonnulli fabulantur. Hæ saltem sunt conditiones quædam, pertinentes tam ad subjectum & finem, quam ad instrumenta: Operationes potius sunt de officio artificis ab instrumentis tota natura differentes. Neq; medicatio instrumentum est medicinæ, neq; fabrefactio fabrilis: neq; fusio Metallurgicæ, neq; destillatio aut calcinatio Chemicæ: sed medicinæ instrumenta sunt medicamenta: fabrilis securis, serra: Metallurgicæ, Ignis, Crucibulum &c. Haut secus Chemicæ instrumenta alia multa sunt, quam operationes. Ea nos constituimus sequentia: sunt fornaces omnis generis, vasæ vitrea, terrea; ignis, per varios gradus accensus & or-

dinatus:

dinatus: Aqua: Aer: Menstruaq; alia: ferrea  
quædam Organæ tractando igni , vasisq; ac-  
commoda; lutum , lapides. &c.

## X. PLASTICA.

Ea dicitur quæ ex limo ductili, aut cera ef-  
format elegantes effigies. *Subjectum* est cor-  
pus lentum , quod digitis aut stilo eburneo  
tractari, duciq; commode potest, quatenus  
figurabile. Hujusmodi corpora duo ferè  
sunt artificibus usitata , Argilla & cera: Ar-  
gilla diu multumq; subigitur, ut sequacem-  
quendam lentorem acquirat , fiatq; commo-  
dissima recipiendis figuris. Cera aptior est  
ad hanc artem, & opera reddit ornatoria. Ea  
quoq; præparatione opus habet. Sumitur  
ferè cera virginea , sole excocta & ad nitidissimam albedinem perducta; Ea primū  
funditur lento igni , additurq; illi sextans  
Therebinthinae vulgaris , facta accurata u-  
triusq; mixtura. Tum porto colores omnis  
generis triti exquisitissime & in pollinem  
conversi , vel siccii insperguntur , vel una alte-  
rave gutta olei amygd. excepti, probèq; per-  
mixti massæ cereæ , pulcherrimo illam colo-  
re imbuunt , eaq; iam parata effunditur in  
pelvim frigidâ purâ repletam. Ubi etiam il-  
ud norabis , colores hoc modo conciliatos  
eræ raro ultra annum aut biennium retine-  
re nativam pulchritudinem , sed ferè tem-

E

pore

pore obsolescere. Est tamen artificium parandi ceram coloratam, quæ nullo unquam ævo inveterascit, sed floridissimos servat colores; Colores usitatores hi sunt; Cerussa alba, sicca. Æs viride, Chemice præparatum: Lacca; Zinnabrium, minium. Color carneus ex momento Laccæ, vel Cinabrii, vel minii, cum pauxillo cerussæ. Brand-gelb / Schi-gelb. Cæruleum indicium. Cæruleum quod mulierculæ usurpant ad amyllum tingendum. Ruber saturus color paratur, vel ex hæmatide, aut Rothstein vel ex Rustgelb. Nigra ex fuligine oleosæ Lampadis, lamina ferrea excepta. Vel ex nucleis integris Perficiis, in vaseculo curiosè occluso, ne aër intret, combustis, non in cineres, sed in carbones. Ita adornatum est subjectum Plasticæ artis. Finis est omnis figura, aut effigies vivarum mortuarumq; rerum; introducenda in ceram aut argillam. Ea perfectè est cognoscenda, imprimis quoad Elevationes & depressiones partiū. Nam totum ferè artificium plasticum, consistit in exprimendo hoc nativo tumore, & subsidentia, ubi vel assurgunt, vel de primuntur & subsidunt quælibet membra, quod ipsum longa & sedula observatione facile discitur. Postremò adhibenda sunt Instrumenta, quibus figura quælibet Ceræ ut Argillæ inducitur. Sunt insignes quidem artifices, qui sola digitorum

torum operâ argillam elaborant, & ex ea mirabiles formant effigies. Plæriq; vero ad ceram stylis utuntur osseis, ligneis, ferreis, quarum cuspides peculiari ratione, vel acutinatæ sunt, vel incurvatae, vel explanatae. Iis adjutus quādo Plastes jam absolvit in cera effigiem, solet hanc ipsam incrustare, & tenuissimo penicillo illinere, oleo spicæ. Id enim nimium splendorē & nitorem ceræ commodissimè castigat.

## XI. ARGENTI & AURIFABRILIS.

Ars fabrilis latissimè patet, cuius multæ sunt particulæ. Nam ferraria, æraria, stannatia, plumbaria, argentaria, auraria, omnes sunt ter geminæ sorores, unius parentis. Unaquæq; harum absindit sibi subjectum speciale, ab universali subjecto, artis universalis fabrilis, quod est corpus Metallicum ductile. Enim vero ut una est generalis ars medica, pro subjecto agnoscens animal sanabile. Partialis vero medicina sibi sumit speciem hujus Catholicæ subjecti, à ḥæmaturgia corpus humanū: veterinaria, mulos & Equos: xunatrgia canes. Ita Aurifabilis, aurum, argentifabilis, argentum; ferraria, ferrum eligit ducendū, tractandum, & in varias figuræ efformandum. Nos ex omnibus Aurariam considerandam sumemus, pro exemplo. Aurificinæ

nomen duo significat. 1. Artem Chemicam, quæ alias *χειροπηγα* dicitur, & aurum de novo facit ex metallis ignobilibus, cuius instrumenta vel spuria sunt, quibus impostores utuntur, ut imponant ignaros, vel legitima, lapidis sc. benedictus & vera medicina, ut vocat, Universalis. 2. Artem aurifabrilem, quæ ex naturali auro, vel ex argento efformat varias res. Si in genere ex fundamentis loqui velimus; Ejus *subjectum* est aurum, quatenus duci aut fundi debet in varias formas. Omnis vero artifex, quia subjectum cognoscere debet, quantum sc. fini artis suæ ex usu est; itaq; & aurifaci aurum probè est cognoscendum, intus & in cute; non quomodo genereretur in terra ex sulphure, sale & mercurio? Sed quomodo legitimum ab illegitimo internosci? quomodo ab adjunctis aliis metallis separari? quomodo purgari, & liquari, tractabile fieri & facile fundi, malleoq; & cælo duci & polliri beat? In quam rem illi serviunt, aquæ fortes, lapides Lidi; Antimonium, plumbum, & capellæ cineritiae, aliaq; id genus. Viso subiecto, succedit *finis*: Figura scilicet auro concilianda, e.g. poculi, annuli, catenæ, torquis, armillarum, hominis &c. In his probè exercitatum oportet esse Aurifabrum, non tantum ut pictoria & sculptoria arte adjutus, effigies rerum ad vivum exprimere sciat, sed & novas formas

formas indies excogitare, atq; cū grati à effingere. Finem hunc porro suum producit in subiecto aurifaber, per *Instrumenta*, quorum satis magnam & instructam suppellectilem in officina sua asservat. Hic primo ambulat locofornax & carbones; de hinc incus, mallei, līmæ, forcipes, crucibula, Ingus oder Gießpuckel/Biehebanc zum Draih/Spatt/spatum, quod sit ex talco albo combusto, estq; aptissimum Organon recipiendis subtiliter figuris, & iterum exprimendis & reddendis, zum abgiessen. Eius loco nonnuli arenæ quodam generi subtilissimæ utuntur.

## XII. ARCHITECTONICA.

Sic Vitruvius & Latini elegantiores vocant artem exstruendorum ædificiorum. Ea pro subiecta habet ligna, lapides, Cæmenta, quantum ordinari & aptari debent in figuram ædificii. Hoc subiectum pernoscendum est Architectoni, ut sciat, quæ ligna aptiora, durabiliora, fragilia? quomodo scindi fandiq; oporteat? qui lapides, quomodo conjungi poniq; debeant. *Finis* est ipsa structura ædificii, quæ vel per ichnographiam, id est, picturam, vel Orthographiam, id est, erectam frontis, imaginem adumbrari solet. Structura ipsa ut pote totum, resolvitur in suas partes, methodo Analytica. Partes hæ sunt, atrium, tablinum, impluvium, Cavædium, hypætrum, Por-

E. 2

ticus,

cicus, peristylium, theatrum, stabulum, Conclavia, quorum omnium medulla quasi est opus intestinum. Minutiores adhuc partes sunt columnæ, quarum fulcimenta sunt stylobata, basis, spira, Scapus; De quibus eleganter & eruditè Vitruvius. Super sunt Instrumenta Architectonica, Canteri, Circinus, norma, ascia, dolabra, Runcina, serra, cuneus, forceps, malleus, terebra, Clavus, Colla, &c.

### METHODUS TRACTANDARUM DISCIPLINARUM PRACTICARUM.

Disciplinæ practicæ, quanquam non sint artes, ut constat ex superiorib. sed prudentiæ, distinctæ ab artibus, & fine, & toto genere; tamen nō aliâ quā artes methodo tradi amant. Idem ordo Analyticus, & his & illis constitutis servit; possidentq; etiam hæ, non minus quā artes, Tria illa saepius jam memorata & decantata membra, Subjectum, finem & instrumenta; Etiam habitus practici finem aliquem subjecto introducunt, per convenientia media, quanquam finis hic non sit opus aliquod, ab operatione vel actione diversum, ut in artibus: sed ab actione περὶ ξει strictè dicta, neutiquam separabilis. Cæterum omnes disciplinæ occupantur in formando homine, ut ille particeps fiat felicitatis & summi boni, & imbuatur honestate actionum.

ETHICA.

## ETHICA.

Non est Ethica ea propriæ disciplina, quæ hominem ad virtutem erudit in se consideratum, quais sibi soli vivit, quemadmodum pleriq; docent; sed est disciplina universalis, tradens præcepta catholica, & fundamenta vitæ honestè degendæ, quæ ad omnem vitæ conditionem, tam publicam, quam privatam se extendunt. Ubi officio locus est, ibi etiam virtutis honestatisq;, id est, Ethicæ est usus: Sed nulla est vitæ pars (Cicer: verba I. i. off.) neq; publicis, neq; privatis, neq; forensibus, neq; domesticis in rebus, neq; si tecum agas quid, neq; si cum alio contrahas, quæ vacare officio possit. Ethica igitur, seu disciplina virtutum generalis est. Primo loco est *Subiectum* quod non aliud esse potest (quidquid etiam dicant alii,) quam homo, quatenus fœlicitatem, quæ summum est in hac vita bonum, debet consequi. Modus hic considerandi, ut solet fieri, à fine desumptus, separat Ethicam ab omnibus disciplinis aliis. Est vero *sicis* Ethicæ fœlicitas, aut summum hujus vitæ bonum: quod in quanā re consistat, disputerent, quo usq; lubuerit, Philosophi. Nos illud ponimus in actione secundum virtutem. Per actionem non intelligo nudum motum; sed perfectionē seu habitum, qui in motu seu in actione spectatur, vel potius utrumq;, actionē unā cum

E 4

perfe-

perfectione. Hæc actio virtuosa introducenda est in hominem , ut finis in subjectum. Atq; ad haec tendunt , velut ultimum scopum , omnia quæ in Ethica proponuntur. Introducitur autem per *Instrumenta Ethica*: quæ nihil sunt aliud quam virtutes , affectuum ac perturbationum animi castigatrices. Hinc de affectibus , de habitibus animi , & postmodum de omnibus virtutum speciebus , tam sollicitè & accurate agitur in Ethica : Atq; id ipsum non alio fine , quam ut iis ceu mediis quibusdam corrigantur vitia , & acquiratur actionum honestas atq; integritas , quæ basis & fundatum est felicitatis.

## II. POLITICA.

Est quasi specialis Ethica , applicata homini in Republica vel *militia* viventi. Ejus *subjectum* constituimus Rempublicam , quatenus fœlicitatis debet compos fieri. Respublica vero cum sit compositum quid , ex parte Materiali & Formali: Materiale sunt homines in Republ. viventes , Imperantes , & oboedientes. Formale est Ordo , aut Regimen , aut dispositio , Proinde hic primò omnium Respublica tanquam totum , resolvendum in partes seu species tres , nimirum Monarchiam , Aristocratiā , Democratiam . Tribus his speciebus Reipubl. communis est suprema Majestas vel

vel potestas, ad quam pertinent Regalia, tam reservata quam communicata. Ulterius summa illa potestas relationem habet & essentialem respectum ad obedientes. Quocirca de hinc agendum de subditis, qui sunt cives, incolæ, peregrini. Omnibus his convenient Familyæ: Familyæ, porro relolvendæ in species aut classes alias, ut Nobiles, literatos, milites, opifices, &c. Hoc igitur est Subiectum, cui introducendus est Finis. Finis Politices est felicitas civilis, utpote ad quam, ut nativum scopum, dirigitur & refertur, quidquid in universa Politica traditur, qua felicitate imperata, homines in Republ. suam perfectiōnem possident. Ultimo Instrumenta Politica sunt duum generum 1. Personæ suo consilio & auxilio salutem publicā procurantes, quales Senatores, Consules, (qui uno nomine Magistratus dicuntur) consiliarii, censores &c. 2. Leges salutares, quibus idem præstat Politica, quod per sua medicamenta Medicus: aut per serram ac securim Faber. Legum curam gerit Magistratus; & Legum, seu Jurisperitus. Tribus his membris explicatis progrediendum in specie ad corruptiones & mutationes Reip. partim cognoscendas, partim præcavandas, partim tollendas. Ab hisce vitiis Republicæ ita affliguntur, quemadmodum à morbis corpora animalium. Habent Respu-

E s.

blicæ

blicæ suam sanitatem, suos morbos, suam etiam mortem, & destinata interitus tempora, (quemadmodum homines) quæ primo quidem cognoscere oportet, quæ falso dicantur eorum causæ, quæ autem revera sint? Tum deinde iisdem Medicinam facere, eaq; corrigerere, quantum ejus fieri potest. Istuc pertinet ius & ratio bella gerendi.

### III. OECONOMICA.

Etiam hæc est Ethica quædam specialis, applicata homini, quâ est familiæ membrum. *Subiectum* ejus est Familia, constans marito & uxore; liberis & famulis, quatenus honeste debet administrari. *Finis* est honestas & fœlicitas domestica, quæ præcipue quidem in actione secundum virtutem consistit; tamen non procul respuit rei etiam familiaris incrementum & felicem statum. *Instrumenta* Oeconomicæ sunt variæ præceptiones, leges & regulæ administrandrem familiarem, & regendi domesticos, quarū observationes ex usu & experientia melius, quā præceptis addiscuntur.

### IV. THEOLOGIA.

Non potest ascribi Theoreticis disciplinis, velut multi eam faciunt scientiam, sed revera Practica est, cuius Finis operatio. 2. Tim. 3. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est, ut homo DEI sit perfectus, & ad omne opus bonum

bonum instructus. Et alibi quoq; idem Paulus scribit, scripturas esse utiles ad corrigendum & arguendum. *Subjectum* est homo, quatenus salvandus, vel beabilis, seu quā ad vitam æternam pervenire debet. Finis est beatitudo vel vita æterna. *Instrumenta* sunt à parte DEI, Meritum Christi: à parte nostra, Fides. A *subjecto* sit initium: Homo, *subjectum*, quia ignotum, quā fini Theologico substernitur, itaq; est cognoscendus in causis: A D E O est creatus: ab hoc dependet, secundum considerationem Theologicā. Itaq; primò noscendus est DEUS qualis sit? (causa illa hominis & omnium rerum) unus in essentia trinus in personis. Mox & de Creatione agendum, per quam productus fuit Mundus universus, Angeli. Productus autem fuit in statu innocentiae, ad imaginem DEI, tum ipse homo, tum Angeli. Hic explicanda imago DEI in homine, quæ fuerit? Postmodum & Angeli, & homo lapsus in peccatum; novusq; emersit status post lapsum; cuius primum vexillum peccatum, cuius noscenda essentia, differentiae, effeta ut mors. Sic *subjectum*. *Finem* dixi vitam æternam, quam antecedit extremum judicium, Resurrectio mortuorum. *Instrumenta* ad hunc finem ducentia duo sunt. Unum à parte DEI, alterum à parte nostri. A parte DEI est gratuita misericordia, & decretum prædesti-

destinationis, per incarnationem & merita officiaq; Christi mediatoris. A parte nostri est fides, per quam justificamur, cuius essentia consistit in indubia apprehensione & fiducia meritorum Christi: Fides hæc ex auditu venit verbi divini, & lectione: quod verbum nos certiores facit de DEI voluntate, & benemeritis. Verbum DEI continetur in sacra Scriptura, de cuius autoritate hic certò determinandum contra Pontificios. In hac sacra scripturâ, continetur vetus ac novum Testamentum; seu Lex & Evangelium. Per legem agnitione peccati; per Evangelium fiducia in Christum: Fides autem ut eo reddatur securior, administrâ addita sunt, seu sigilla, Sacramenta; Baptismus, & Cœna Domini. Hæc administrâtur per ministros verbi, qui absolutione annunciant; sicutq; in Ecclesia, quæ est cætus credentiū. Postquam igitur fides regnat in animis fidelium, nō est otiosa, sed consecutari i scertis se dat conspi- cuam 1. Pace & tranquillitate conscientiæ. 2. Bonis operibus. De his omnibus Theologia.

#### V. JURISPRUDENTIA.

Hanc etiam ad disciplinas *præceptorias* per- tinere, & esse ex numero prudentiarum, vel ipsum ejus nomen insinuat. *Subiectum* ejus est homo, quatenus justè debet vivere in Repu- blica. Habes modum rei æqualem, qui à fine desum-

desumptus, constituit proprios hujus disciplinæ terminos. *Finis* est *justitia*, abs qua optima ratione suas institutiones auspicatur I. *Justinianus*. Hic finis introducendus est in subjectum (*hominem*) per instrumenta. *Instrumenta* vero sunt leges, juraq;, quæ idem hic sunt, quod in medicina medicamenta, aut in Ethica virtutes. *Quorum* omnium summa tribus his præceptis comprehenditur. Honestè vivere; alterum non lèdere: suum cuiq; tribuere. Cæterum leges, seu jus triplex est. Naturale omnibus animantibus commune, quo pertinet matrimonium & liberorum educatione. *Jus gentium*, solis hominibus, omnibus tamen commune, quo pertinet reverentia erga D E U M, erga parentes, seniores: Et *Jus civile*, unicuiq; civitati, aut Regno proprium, ut Romanum, Gallicum. *Istud* est veluti genus summum: illud genus medium: *hæc* species infima. *Hæc* ipsa iura iterum vel scripta sunt, vel non scripta. Scripta sunt, *Leges stricte dictæ*, *Plebisita*, *Senatus Consulta*, *principum placita*, *Magistratum edicta*, *Responsa prudentum*. Non scripta sunt consuetudines & varii mores, qui leges imitantur. Omne porro instrumentum juridicum, id est, omnis Lex aut Jus, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. *Hæc* tria enim circa hominem occurunt, quem dixi Subjectū esse

esse Jurispr. & in illum per instrumenta introducendum finem, seu justitiam. Primo de personis agit & solicita est Jurisprudentia: harumq; divisionibus, in servos & liberos: liberorum porro in ingenuos & libertinos, quibus convenit manumissio. In eos qui alienæ sunt potestatis, & qui suæ. Hujusmodi personæ v. quia per nuptias in matrimonio conjunguntur, idcirco mox de nuptiis tractat, de parentibus & liberis tam legitimis, quam naturalibus & adoptivis, fratribus & sororibus, aliisq; vel sanguine vel affinitate junctis, atq; his omnibus leges juraq; præscribit: Tum item quo pacto & conditionibus, hi ipsi jure patriæ potestatis liberentur. Suæ potestatis sunt tutores, dati ferè per testamentum: Et quia tutela tollitur aliqua capitis diminutione, id est prioris status mutatione, idcirco de his omnibus accurate agit J. C. velut & de curatoribus, horemq; omnium conditionibus & differentiis. Personis succedunt res, quæ vel omnibus communae, ut aer, aqua, mare, littora; vel Diis & sacris ritibus consecratæ, & nullius propriæ; vel singulis hominib. peculiares, ut bestiæ, agri, frumenta, ædificia, horti, suppellex, merces; Huc referuntur servitutes Rusticorum, & urbanorum prædiorum, tum insuper ususfructus & usus, id est, jus utendi alienis rebus, salva rerum substantia; nec non usuca-

usucapio, donatio, quibus alienare licet? quibus non licet? per quas personas cuiq; acquiritur? Et quibus modis, veluti per hæreditatem, & testamenta? Dantur igitur leges consciendorum testamentorum, ex hæredandorum liberorum, itemq; de legitimis hæreditibus instituendis: tum item qua ratione testamenta infirmantur, de legatis, fidei commissionibus, codicillis. Insuperq; de hæreditatibus ex intestato: legitima agnatorum successione: Ubi de gradibus cognationum. Ad rerum quoq; acquisitionem pertinent obligatio, tam quæ re contrahitur, quam quæ verbis, & quæ est quasi ex contractu. Insuper quæ ex delicto, quò pertinet Furtum; item vis raptorum bonorum: aliaq; ut injuria, imperitia medicorum, de quibus est Lex Aquilia. Postremo obligatio ex quasi delicto; Item stipulatio utilis & inutilis; Fidejussiones; Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, societas, mandatum. Supereft jus ultimi membra, seu actionum, qvæ vel ad personas referuntur, vel ad res, qvo nomine variæ sunt illarum differentiae, ut pænales, præjudiciales, persecutoriae rei, vel personæ: item actiones in simulum, puplum, &c. actiones bonæ fidei. Act: stricti juris: Actiones noxales, fatisdationes, actiones perpetuæ & temporales. Exceptiones, Replicationes, interdicta, pœna temerè litigii.

litigantium. De his omnibus actionibus Judex judicium fert, itaq; postremo loco de officio judicis, & judicio publico agit jurisprudentia, atq; ita claudit suæ disciplinæ & institutio-  
num Systema. Atq; hæc est constitutio habi-  
tuum ποιητικῶν καὶ περιττῶν, ad præcepta  
Methodi Analyticæ.

*Methodus constituendarum  
SCIENTIARUM.*

Quemadmodum superius ostendimus, artem omnem & prudentiam tribus absolvī, per Methodum Analyticam per vestigandis; sic iam porro de scientiis, per Methodum Syntheticam constituendis, profitemur eas in tribus consistere: In subjecto, principiis, & affectionibus. Per Scientiam non intelligo quemvis habitum, cognitione aliqua insignitum, quo sensu etiam aurifabrum scientem dicimus; sed certam & infallibilem, de rebus æternis, necessariis, cognitionem: per causas necessarias, proximas, qvæ aliter se habere nequit. Talem, inquam, cognitionem, quæ duplē obtinet necessitatem, alteram in rebus, alteram in animo scientis, qui novit rem ita se habere, nec aliter esse posse. Scientia hoc modo intellecta tribus, ut dixi, absolvitur, subjecto, principiis, & affectionibus. Subjectum illud est, de quo aliquid scitur, & de-  
monstra-

monstrantur. His accedunt quandoq; Species ipsius Subjecti; Species enim ad eandem pertinent, ad quam genus, scientiam. Nec plura, nec pauciora quam tria illa requiri ad scientiam, demonstravit Aristot. in posteriorib. Analyt. Quicquid enim scitur aut cognoscitur, id de aliquo cognoscitur. Non Entis enim aut nihili, non est ulla notitia : Atq; hoc ipsum est subjectum. Tum insuper est aliquid ignotum qvod quæritur, & cuius scientia aut cognitio expetitur. Ubi enim nihil est quod scitur, nulla quoq; est scientia. Atq; hæ sunt affectiōes ignoræ, sciendæ & demonstradæ de subjecto. Postremò quia ignotum per æquè ignotum non cognoscitur, requiruntur media & instrumenta nota, quorum adminiculo, illud quod ignotum est, pervestigatur. Eæ sunt causæ & principia scientiarum. De tribus his singulatiū pauca adjungam.

### I. SUBJECTUM.

Subjecti voce non aliud intelligimus, quam subjectum scientificum, contemplationis, Demonstrationis. Nam ut Artibus convenit operationis Subjectum, sic scientiis Demonstrationis, vel nudæ cognitionis. Hoc non minus quam illud duabus constat partibus. Materia seu Re, & forma seu modo. Illa potest communis esse pluribus disciplinis, hæc unius est propria : ita tamen ut æqualitas sit inter

F

utramq;

utramq; de quâ æqualitate suprà monuignus.  
 Cæterum de subjecto scientiarū, hæc annotari  
 oportet initio, quod de illo in scientia nulla in-  
 stituitur peculiaris tractatio, sequius qvam in  
 arte. Ars enim operari debet in Subjectum:  
 Ergo hoc perfectè cognoscere, ut finem per  
 instrumenta in illud introducat. At scientia,  
 consistit in simplici contéplatione, & cogni-  
 tione causarum & proprietatum. Sed subjecti  
 tota essentia consistit in causis & proprietati-  
 bus. His igitur cognitis, cognoscitur Subje-  
 ctum; Itaq; peculiaris explicatio subjecti non  
 requiritur, sed noscitur subjectum, cognitis  
 principiis & proprietatibus. Hinc est illud  
 axioma Philosophorum: Subjectum & nulli-  
 bi, & ubivis explicatur in scientia. Nullib; i  
 quia præter principiorum vel causarum, &  
 item præter affectionum seu accidentium tra-  
 ctationem, nulla alia subjecti explicatio, seor-  
 sim instituenda relinquitur. Nihil enim habet  
 subjectum præter duo ista. Ubiq; vero; quia  
 omnia, quæ traduntur in scientia, sunt aliquid  
 illius Subjecti, nec quidquam proponitur,  
 quod non quoquo modo pertineat ad subje-  
 ctum, seu principia sunt illius, seu affectiones,  
 seu etiam species. Itaq; subjectum peculiariter  
 non explicatur sed ut notum substernitur toti  
 scientiæ.

Condition-

Conditiones subjecti hæ sunt.

I. Omne subjectum scientiæ debet esse Ens reale, non fictitium; Ens per se unum; Ens necessarium; explico singula. Est Ens reale. Non Entis enim ut nulla est demonstratio, sic nec scientia. In hanc legem peccant Metaphysici illi, qui sub Metaphysices subiecto contineri aiunt etiam Entia rationis, & non Entia. Sit quoq; Ens per se unum, seu Substantia, seu accidens, nihil refert. Unitas illa à parte subjecti formaliter petitur, ut jam dictum est; nam materialis potest esse multiplex. Sit quoq; Ens necessarium, & prorsus extra nostram positum voluntatem, in quod nequimus agere, sed quod solius contemplationis gratia consideratur.

II. Habeat affectiones vel proprietates quæ de illo sciri, & per demonstrationes cognosci debent.

III. Sit adæquatum toti scientiæ, & singularis in demonstratione affectibus, id est, nec sit latius, nec strictius totâ, scientiâ, sed adæquate & per se substernatur omnibus in scientia tradendis.

IV. Consideretur non prout alteri inhæret, sed prout substans affectionibus, & harum est basis. Ita quantitas licet accidens sit & inhæret, in Mathesi tamen non consideratur quia inhæret, sed quatenus substans & substans

F 2

natur

nitur accidentibus & proprietatibus ipsi convenientibus.

V. Præcognoscatur in scientia tum quod sit? tum quid sit? confusè tamen, & solum quoad nomen, non item perfectè aut per demonstrationem. Nullum enim subjectum in scientia demonstratur. Et perfecta ac distincta cognitio subjecti non dependet nisi ab ejus principiis, seu causis, & affectionibus: Athæc sunt à subjecti præcognitione distingvenda: alia enim principiorum, alia affectionum cognition. Itaq; non potest subjecti perfecta cognitione præmitti, aut haberri, sed solum definitio nominis.

### PRINCPIA.

Principia vocantur, vel causæ, ea quæ Media sunt atq; instrumenta, quorum ope Res aliqua vel cognoscitur, vel in sua essentia constituitur. Hæc secundum obtinent locum in scientiis. Et ab iis fere scientiæ Systema explicari incipit: Subjecto enim ut dixi, nulla peculiaris datur tractatio. Principia duorum sunt generum, alia cognoscendi, ut vocant, alia essendi (His compendii gratiâ includo etiam principia Generationis) Principia cognitionis trium sunt generum.

I. Axiomata quædama, aut communes notiones. Propositiones, definitiones, postulata, omnibus notissima, & apud omnes infallibilis

fallibilis certitudinis, ita ut nemo illis assensum deneget: Qualia ab Euclide, magno satis apparatu præmittuntur, libris singulis elementorum: ut, Omne totum est majus sua parte &c. 2. Hypotheses & Organa quædam materialia, quibus ceu instrumentis scientiæ utuntur, ad acquirendam subjecti cognitionem. Talia sunt in Astronomia, Sphæra, globus, Theoriæ Planetarum, astrolabia, Quadrantes, Sextantes: In Optica, specula: In Musica, chelys, testudo, fistulæ, tibiæ. 3. Una scientia, sit principium cognoscendi & demonstrandi aliâ: sic Geom. & Arith. sunt principia Astron. Music. Opticæ, &c. Hæc sunt principia, seu causæ cognitionis, per quas affectionem aliquam incognitâ de Subjecto demonstramus & cognoscimus. Principia essendi vel constitutiva, quamvis & ipsa serviant cognitioni, tamen propriè ita dicuntur, quia constituant rei alicujus essentiam, neq; sunt axiomata aut propositiones, sed Entia integritatem & pefectionem rei absolventia: ita materia & forma sunt principia essendi, vel constitutiva, corporis naturalis. Dixi principia essendi, etiam esse principia cognoscendi secundum quid: absolute enim non sunt. Nam omne principium propriè dictum cognoscendi, necesse est, præcognitum sit, quod sit, & quid sit: At principia essendi absolute præco-

gnita non sunt, quum in scientia demonstrentur etiam, non quidem à priori (nihil enim iis prius) sed à posteriori; velut physici Materiam primam dari probant ab Ortu & Intervitu rerum, etiam à quantitate; Itaq; secundum quid Pr. Es. non sunt principia præcognita: at vero sunt præcognita tamen, secundum quid & alio modo. Nimirum quatenus accidentium & affectionum, distincta perfecta; cognitio pendet ex iis præcognitis, & jam ante constitutis. Ad notitiam proprietatum habendam oportet principia essendi esse cognita tum quod sint, tum quid sint. Atq; hoc sensu præcognita dici possunt, vel principia cognitionis, quatenus accidentia ex iis velut causis cognoscuntur perfecte: nec absq; iis præcognitis, & præsuppositis demonstrari aut sciri possent.

Utraq; principia suas habent conditiones & Regulas. Sunt nonnullæ regulæ principiorum in genere, quæ utrisq; convenienter tam cogn: quam essendi. Aliæ speciales & singularem propriæ.

### *Conditiones generales Principiorum.*

I. Omne principium debet esse verum. Principium quidem cognitionis, Veritate complexa: Principium essentiæ, veritate incompleta; Debent, inquam, utraq; veram & realem Entitatem habere. Hinc vides ex falsis hypo-

hypothesib. (ut quorundam Astronomorum)  
falsa etiam deduci conjectaria.

**II.** Omne principium debet esse causa  
affectionis illius, quæ demonstratur & scitur.  
Scientia enim est cognitio per causas. Prin-  
cipia vero sunt causæ. Et quidem debet esse  
causa proxima imminicata, adæqvata, neces-  
saria, & prior naturâ illius effectus, qui per  
illam scitur.

**III.** Omne principium debet esse notius  
eo, qvod per principium cognosci debet.  
Ignotum enim per æquè ignotum non ex-  
plicatur.

**IV.** Omne principium debet primo lo-  
co in scientia explicari, si ignotum fuerit; post  
rudem sc. & nominalem explicationem subje-  
cti. Si fuerit notum, non postulat explicationem.

**V.** Omne principium quæritur & cogno-  
scitur ob solam cognitionem, & contempla-  
tionem: Non item ob  $\pi\eta\gamma\sigma\tau\iota\tau$ , aut  $\pi\epsilon\alpha\zeta\tau\iota\tau$ .  
Nam scientia consistit in mera tontéplatione.

### *Principia cognoscendi.*

**I.** Omne principium cognoscendi, non  
necessit est semper esse Ens reale, quia etiam  
per Entia rationis, modo rebus ipsis sint con-  
formia, aliquid cognosci & demonstrari po-  
test. Ita Astronomia per hypotheses, excentri-  
cos, Epicyclos multa demonstrat, & cogno-  
scit, quæ tamen sunt Entia rationis.

F 4.

2. Null.

II. Nullum principium cognoscendi propriè dictum constituit ejus rei essentiam, cuius est principium.

III. Omne prin: cognoscendi debet præ-supponi in scientia, & aliunde assumi, atq; præ-cognitum esse tum quid sit? tum quod sit? nec ulla ratione demonstrari aut probari, seu à priori, seu à posteriori, in illa scilicet scientia, cuius est principium. Quanquam demonstrari possit in scientia alia, aut in alia arte priori, ut Organa Mathematica in artibus Mechanicis. Hic peccant interpres Euclidis, qui omnia Axiomata, postulata &c. curiose admodum demonstrant, quæ tamen assumi nō probari debent.

IV. Omne principium cognoscendi in scientia, non consideratur nisi cum relatione ad ea, quæ ignota sunt; quorum notitia per eadem ipsa principia adquiritur.

V. Omne Principium cognoscendi est maximè universale & generalissimum, eōq; variæ sententiæ uti possunt: Itaq; solum ad demonstrationem ac scientiam perfectam nō sufficit: quia respectu naturæ rei externum, quid est, & foris petitur. Omnis verò scientia fit per principia propria, & proxima, non verò communia. Tamen per communia principia, multa demonstrantur in scientia, si ea conjungantur cum principiis propriis, petitis ex ipsa

ipsa rei natura. Ita enim accommoda sunt instrumenta scientiarum, & ita iis, e. g. Geom. Arithm. Musica utuntur. Recte igitur Aristoteles Brisonem accusavit, quod solis principiis cognoscendi universalibus, quadraturam Circuli demonstraverit, non additis propriis aut peculiaribus principiis, petitis ex natura ipsius circuli.

## *Principia Essendi.*

I. Omne principium essendi est incom-  
plexum, id est, res simplex: non propositio  
quædam aut ratio. Hæc enim nullius rei essen-  
tiam constituit.

**II.** Omne principium ess. est pars essentia-  
lis rei alicujus, seu constituit rei essentiam.

III. Principia est. demonstrari possunt in scientia, non quidem à priori, sed à posteriori seu ab affectib. Ita Physicus demonstrat dari Materiam primam, nec eam esse nihil: atq; id à posteriori, sc. à corruptione & interitu rerum, à quantitate. A priori vero nullum principium essendi demonstratur. Ita enim non esset principium, siquidem haberet sese aliquid prius.

IV. Omne principium est. consideratur  
in scientia, non absolute sed cum relatione ad  
proprietates, seu affectus ab iis pendentes, qui  
ab ipsis habent, partim quod sint, partim quod  
distincte cognoscantur.

V. Omne prin. ess. esse debet maximē  
F 5 propri-



proprium rei, cuius est principium, & ipsi quoq; scientiæ, nec ulli alii, vel rei vel scientiæ commune, aut alienum. Ita peccant qui demonstrant per sola communia, & per illa-  
scientiam quærunt.

### AFFECTIONES.

Affectiones sunt proprietates, accidentia, vel effecta, quæ Subiecto conveniunt, & de illo fieri aut cognosci seu demonstrari debent, per principia & causas. Harum duntaxat datur demonstratio. Nam subiectum non est id quod scitur aut demonstratur, sed de quo aliqua affectio demonstratur: Et principia item non sunt id quod demonstratur, sed per quod velut per instrumenta affectiones demonstrantur de subiecto. Itaq; nihil potest demonstrari, seu quod idem. nihil potest esse affectio, quod non adsit vel inhæreat subiecto.

### Conditiones affectionum tales sunt:

I. Omnis affectio debet esse accidens. Nam inhæret Subiecto. Inhæret vero solum accidens. Nam Substantia per se subsistit. Itaq; omnis affectio est accidens.

II. Omnis affectio consideratur cum relatione ad subiectum, seu quæ subiecto inhæret. Velut subiectum ( quamvis revera acci-  
dens sit, ut Quantitas in Mathesi ) nullum con-  
sideratur quæ inhæret, sed solum quæ subjici-  
tur

cur aut substat affectionibus ; ita nulla affectio potest considerari, qva subjectum est, seu qva substantia, sed qua inhæret ; Ita Quantitas in Physica est affectio & non subjectum, quia consideratur ut corpori naturali inhæret propter materiam : At in Mathesi est subjectum non affectio ; quia consideratur ut subjicitur substantia variis affectionibus.

III. Omnis affectio debet esse propria sui subjecti, non vero communis aliis quoq; rebus ; itemq; illi convenire per se, esentialiter, id est consequentiam rei. Ita peccatis, qui sanitatem, ut hominis affectionem considerat ; Cum ea etiam bovi & equo conveniat, qvibus communis est, nec propria soli homini.

IV. Omnis affectio explicari & demonstrari debet mox post principia ; præmittitur tamen rudis cognitio, quoad nomen Quid sint ? Nam cur sint & qvomodo ? id solum addiscitur, per demonstrationem & scientiam.

V. Omnis affectio in Scientia queritur solius cognitionis gratiâ : Et ad puram contemplationem, velut ultimum scopum tendit. Scientia enim nec occupatur opere producendo, nec versatur in actione morali.

### SPECIES.

Præter hæc tria in scientiis quibusdam, species dantur, duæ generi proximè subsunt, venus cœlum & terra sunt species corporis naturalis.

turalis. Hæc uideantur, tum his reguntur  
Regulis.

I. Species pertinet ad eandem scientiam,  
ad quam genus : ita Substantia & Accidens,  
sunt species Entis. Ergo pertinent ad Disci-  
plinam, ad quam spectat Ens, id est, ad  
Metaphysicam.

II. Species non alio conceptu debet ex-  
plicari quam genus : Ita homo est species cor-  
poris Physici, proinde subjicitur Physico, ve-  
rum non qua debet salvari coram D E O , aut  
sanari; sed qua est naturale corpus.

III. Species debent postremo loco tra-  
ctari in scientia.

IV. Specierum causæ & affectiones, æque  
benè atq; ipsius generici subjecti, explicari &  
cognosci debent.

V. Quæ sunt species in una disciplina, ea  
possunt esse adæquatum subjectum generale  
in alia Ita animal est species corporis Physici.  
Et est adæquatum subjectum medicinæ.

### I. PHYSICA.

Videbimus nunc porrò , & constituemus  
ordine Disciplinas Theoreticas , qvas inter  
familiam ducit Physica. *Subiectum* Physices est  
corpus naturale , qua naturale : qui modus  
considerandi uno obtutu aperit formā totius  
Physices, & quo consilio omnia in illa tracten-  
tur, sc̄ ut cognoscatur *natura rerum*. Quid-  
quid

quid igitur rebus non est naturale, illud non  
est è Republica Physica, nec est quidquam  
subjecti Physici. Omnia v. debent esse aliquid  
subjecti Physici. De subjecto peculiariter nihil  
docuit Aristoteles, nec docent Physici. Id  
enim, ut jam est demonstratum, non erat ne-  
cessum. Subjectum mox sequuntur *Principia Physi-  
ca*, tam cognoscendi, quam essendi. Prin-  
cipia cognoscendi sunt Axiomata quædam  
omnium assensu comprobata, qualia hæc:  
Ex nihilo nihil fit. Quidquid fit, fit propter si-  
nem; Nihil facit seipsum. DEUS & Natura  
nihil agunt frumenta: Horum magnum nume-  
rum collegit, & eleganti ordine disposuit.  
Seb. Foxius lib. de. cons. Phil. Peri. & Plat.  
Principia essendi duo sunt, Materia & Forma,  
quæ etiam dicuntur causæ internæ, & Natu-  
ra: Et quia res ante quam esse possit, genera-  
tur, cognoscenda quæq; sunt principia Ge-  
nerationum. Privatio, causæq; externæ, per  
se; efficiens & Finis: per Accidens, Fortuna  
& casus. Hactenus principia. *Affectiones*, prin-  
cipiis subjungendæ, & per principia demon-  
strandæ ac cognoscendæ de subjecto, seu cor-  
pore naturali, quam plurimæ sunt; Eæq; vel  
internæ, vel externæ; Internæ ut motus, quies,  
quantitas, finitudo, (infinitudo) quarum  
causa est natura, eaq; duplex materia, & for-  
ma. Externæ alias dicuntur *mechanicæ*, ut  
locus

locus & huic oppositum vacuum, tempus, quo pertinet æternitatis contemplatio. Hæ, inquam, omnes affectiones demonstrantur de corp. N. per materiam & formam E. g. Omne Materiatum est Quantitate præditum, (quantitas enim est proprietas materiæ) omne corpus N. est Materiatum. E. Omne corpus N. quantitate præditum. Item. Omne Quantum est in loco certo, & finitum, & in tempore &c. Omne corpus naturale est quantum. E. Hæ affectiones primū demonstrantur. Quod sint? deinde accuratè explicantur quid sint? Porro quia motus omnis est à motore, hinc Aristoteles de primo etiam motore æterno agit, lib. post Phys. Præter hæc tria, Physica quoq; proprias possidet species, de quibus est pars illius propria, vel specialis. Speciem corporis naturalis hæc est constitutio & ordo. Omne corpus naturale, vel est simplex, vel compositum. Simplex iterum est vel primum, vel à primo ortum. Corpora simplicia prima sunt cœlum, & quatuor vulgariter nota & dicta elementa, Ignis A. A. T. Corpora simplicia prima orta immediato ex elementis sunt Chemica illa vocata tria principia, Sal, Sphur, Mercurius. Ex his immediato & proxiime nascuntur omnia, velut ipsa ex elementis. Elementa ex nullo, sed ex sola materia & forma constantia. Nascuntur, inquam, per mixtio-

mixtionem & generationem. Itaq; materia mixtionis, generationis & corruptionis, imprimis cognoscitur hoc loco; omnisq; mutationis tam substantialis, ( qualis est dicta generatio & corruptio ) quam accidentalis, & quidem vel in quantitate, ut auctio, diminutio; vel in qualitate ut Alteratio; vel in ubi, ut motus localis. Corpora mixta seu composita sunt, quæ remota constant ex materia & forma. Propinquius ex elementis, proximè ex sale, sulphure & Mercurio: suntq; vel perfecta, vel imperfecta. Imperfcta dicuntur Meteora. Ignea, ut fulgur, cometæ, chasmata; Aerea ut venti; Aquea ut pluvia, nix, grando, nebula, ros, pruina; Terrea, ut terræ motus. Huc referri solent ( sed admodum impro priè, cū pertineant ad Elementum aquæ, ) fontes, flumina, Mare, & hujus motus multiplex, & admirandus. Corpora perfecta iterum sunt, vel Animata, vel inanimata. Inanimata, ut Metalla, Mineralia, Lapidès: Animata sunt vel vegetabilia, ut herbæ, frutices, arbores, quo pertinent Zoophyta: vel animalia, eaq; aut bruta aut homo. Bruta vel sunt ignea, ut pyraustæ: vel aerea, ut volucres; vel aquæ, ut pisces: vel terrea ut reptilia, gressilia. Omne vero animatum, constat anima & corpore. De corpore est Anatomia, & historia partium, ac generationis animalium,  
quam

quam ex Physica commodatam sumit, & ad subjectum proprium adoptat Medicus. Animalium tres sunt Species, vegetativa, quae sola plantis inest; sentiens, quam cum vegetativa, possident bruta. Et Rationalis, quae cum prioribus duabus in homine inest. Animæ vegetatrixis facultates sunt Nutrix, Auctrix, Generatrix. Sentientis, motus localis, & sensus tam externi quinq; V. A. O. G. T. quam interni tres, S. Com. Phant. Mem. Rationalis propria est Ratiocinatio. Hæc itaq; sunt principia constitutiva, & partes integrantes corporum animatorum. Supersunt affectiones quædam illis convenientes, etiam Physico nescendæ, quales sunt, vita & mors, acharum brevitas aut prolixitas, Somnus, vigilia, insomnia, sanitas, Morbus, Ætates, ut juvenus, & senectus. Hic terminus est scientiæ Physicæ. Hinc nunc porro, ubi definit Medicus, incipit Medicus. Nam sanitas est principium seu finis Medicinæ; primum, inquam, intentione, ultimum consecutione: Abs cuius cognitione accuratiore (post Subjectum seu animal cognitum) Medicinæ systema inchoatur, ut suprà monuimus.

## II. METAPHYSICA.

Metaphysica, quamquam sapientia, & prima Philosophia & Architectonica dicatur ab Aristotele,

Aristotele, tamen & ab ipso, & plerisq; omnibus Physicis censetur in numero scientiarū, cum maxime & excellenter sit scientia: Itaq; tractanda ad modum cæterarum scientiarum. Subjectum ejus est Ens reale, per se, DEO & omnibus creaturis commune, quatenus est Ens: per quem considerandi modum, specialis cognitio rerum ex Met: excluditur, nisi quatenus considerantur sub conceptu, & ratione Entis communissimā. Hoc Subjectum, vel Ens præcognoscendum est, quoad definitionem, & conceptum nominis; (nam jam antè dixi subjecti essentiæ nullam deberi peculiarem tractatum aut locum, in scien:) Itaq; primo omnium in Metaphysica cognoscitur, quid significet Ens? A subjecto itur ad principia vel causas, quarum generalem contemplationem sibi Met: vendicat: Nulla enim est disciplina quæ de iis absolute agat. Hæc principia vel sunt complexa, seu cognoscendi, aut axiomata quædam generalissima Metaphysica, quæ passim inseruntur operibus Aristotelis: partim incomplexa, seu causæ propriæ dictæ quatuor, Efficiens, Finis, Materia, Forma, de quibus non ut in Physica cum respectu ad generationem, atq; constitutionem corporis naturalis, hic agitur; sed absolute & simpliciter & universalissimè, quatenus cauſe hæ sunt Entia, & communiter omnibus

G

Enti-

Entibus conveniunt. Causas sequuntur Affectiones Entis, quæ vel simplices sunt, vel conjunctæ: Simplices alias transcendentia dicuntur, quia omnium rerum naturas in communitate transcendunt; & in omnibus rebus inveniuntur. Suntq; affectiones quæ absolute omni Enti competit, quales hæc, Res, aliquid, unum, verum, bonum; de quibus accuratè agit Metaph: Conjunctæ sunt quæ non convertuntur cum omni Ente, nisi utraq; conjugantur, quales sunt, Actus & potentia, necessitas & contingentia: Nam omne Ens vel est actu, vel potentia: Item, vel est necessarium, vel contingens. Quod superius in Physica monuimus de speciebus corporis naturalis, idem locum habet in Metaph: quæ & ipsa possidet Species quasdam Entis. Omne igitur Ens vel est infinitum vel finitū: (intellige quoad essentiam & perfectionem, non quoad quantitatem Physicam) Infinitum est DEUS Opt: Max: supra omnia, & post omnia, & in omnib. Ens finitum vel est Substantia, eaq; aut incorporea, ut Angeli, dæmones; aut corporea, de qua Physica: Vel accidens. Accidentis novem sunt geneta, quæ alias unà cum Substantia constituunt decem prædicamenta. Unde vides nec DEUM esse in prædicamento ullo; quia hæc solum continent Entia finita) nec decem summorum genet.

generum, vel specierum Entis, tractatum ulli  
deberi disciplinæ, nisi Metaph: quæ ea consi-  
derat sub ratione Entis. Logica vero etiam de  
iis agit, quatenus per genera & species, seu gra-  
duis superiores & inferiores disponuntur. Vi-  
des etiam substantiarum immaterialium, ut  
Angelorum, (qui communiter Spiritus vo-  
cantur) generalem *θεωρίαν* & cognitionem  
ad Metaphysicam pertinere: utpote cum sint  
Entis species: proinde insigniter ineptiant  
& qui peculiarem quandam Scientiam inde ef-  
formant, quam *πυθαγορίαν* nominant.  
Hucusq; Metaphysica.

### SCIENTIÆ MATHEMATICÆ.

Harum non una solum progenies, sed inte-  
gra est familia, partesq; variae, quarum ordiné  
& numerum, & constitutionem, nervose in-  
vestigabimus. In genere dicuntur Scientiæ Ma-  
thematicæ, quæ versantur in Quantitatis na-  
tura & affectionibus cognoscendis & demon-  
strandis. Quantitas tametsi accidens sit & in-  
hæreat corpori Physico, ob meritum materiæ;  
In Matheſi tamen non ut inhærens, sed ut  
subjectum consideratur, cui conveniunt affe-  
ctiones & accidentia. Potest vero quantitas  
vel unversim & communiter considerari, vel  
speciatim. Universim consideratae illi con-  
veniunt quam plurimæ affectiones, itemq;

G 2

princi-

principia, quæ nulli in specie quantitati, nec  
continuæ, nec discretæ adæquate, aut soli con-  
veniunt, sed utriq; simul, & non minus uni  
quam alteri. Principia hujusmodi complexa  
sunt. Totum est majus sua parte: æqualibus  
si æqualia addideris, quæ proveniunt sunt  
æqualia, &c. quæ tam magnitudini conveni-  
unt, quam numero. Sic affectiones generales  
sunt æqualitas, inæqualitas, proportio, pro-  
portionalitas &c. quæ si de numero demon-  
stres, sophistam agis: siquidem & magnitu-  
dini competunt; affectio vero non debet de-  
monstrari, nisi de proprio & adæquato Sub-  
jecto. Hæc me movent & adducunt, ut cre-  
dam generalem aliquam Mathematicam sci-  
entiam dari, (quanquam à nemino adhuc de  
ea quidquam, vel scriptum vel constitutum  
meminerim) quæ sua possideat principia, suas  
affectiones generales, de Quantitate absolute  
demonstrabiles: prorsusq; ad exemplū Ethic-  
es, quam diximus esse disciplinam commu-  
nem, quæ hominem instruit ad virtutem ab-  
solutè, non habita ratione, vel civilis, vel do-  
mesticæ vitæ. Sic Mathesis Catholica, quanti-  
tatem considerat absolutè, hujus principia &  
affectiones communes, nulla habita vel ma-  
gnitudinis, vel numeri ratione. Nunc ulterius  
quod attinet ad investigandum numerum spe-  
cialium Scientiarum Mathematicarum, in con-  
fesso

c fesso est, Quantitatem ( quæ est subjectum  
universæ Matheseos, & singularum hujus par-  
tium) duplēcēm esse, diſcretam & continuam;  
seu numerum, ac Magnitudinem, quibus addi  
s commodē tertium potest, Pondus. Omnia  
enim à D E O condita sunt, ut S. S. loquitur,  
in numero, mensura seu magnitudine, & pon-  
dere. Hæc vel simpliciter & purè considerari  
possunt, vel secundum qvid, & cum Accidente  
aliquo. De Numero simpliciter est Arithme-  
tica. De Magnitudine simpliciter Geome-  
tria. Cujus particula est Trigonometria, seu  
Doctrina Triangulorum. De Pondere simili-  
citer est Statica: Numerus consideratus non  
simpliciter, sed cum Accidente, uti sono &  
harmonia, constituit Musicam. Magnitudo  
itidem concepta non simpliciter, sed cum ac-  
cidente aliquo, pro varietate hujusmodi acci-  
dētis, varias genuit disciplinas. Vel n, con-  
sideratur in motu cœlesti, deq; illa est Astro-  
nomia; cuius Epimetrum & conjectarium  
est Astrologia judiciaria. Eadem magnitudo  
considerata cum effigie & distinctione globi  
terrestris, in regiōes & maria, constituit Geo-  
graphiam. Conſuncta & considerata cum col-  
ore, cum luce, respectu ad visum, Opticam:  
Cum certa positionis aut situs ( ut altit: pro-  
fund:) differentia, Geodesiam; cuius appen-  
dix est urbium fortificatio. Præter has nulla

G 3

datur

datur scientia Mathematica. Nam quam alii adnunt Mechanicam, οργανωσητικήν, fabricatricem variorum instrumentorum Mathematicorum, ea ad artes τεχνικὰς, operis aliquujus productrices, est referenda. Sunt enim inter artes nonnullae, quae inserviunt Mathematico, & hujus speculationibus; non quidem absolutè, sed majoris commoditatis gratia. Singulas has particulas Matheseos ordinem constituemus.

### I. ARITHMETICA.

*Subiectum* hujus scientiae constituo numerum, qua est numerabilis, id est, qua addi, subtrahi, multiplicari &c. debet: Id enim est numerabile. Numerus vero quoad nomen est præcognoscendus: id est: quæ ejus appellationes, characteres, pronunciationes, valores. Secundo sunt *principia*, quæ terè in hisce disciplinis sunt complexa, seu cognoscendi: ut pars est toto minor. Totum est majus parte. Inæqualibus si æqualia addideris, quæ proveniunt sunt inæqualia &c. Verum quia hæc veljam ante etiam pueris nota sunt: vel ab Euclide unico Matheseos dictatore copiosè sunt enarrata; vel, quod consultius dici puto, explicari debent in Mathesi Catholica, proinde non incusatitur, si quis neglexerit ea repe-

tere

tere in Arithmeticā. Hoc pacto iis, (ut potest)  
jam nemini non cognitis,) omissis Arithmeticā  
protenus incipit ab affectionibus numerorum cognoscendis. Numeri vero quia du-  
plices sunt, vel absoluti, vel comparati: Ab-  
soluti iterum vel integri, vel integrorum par-  
ticulae seu fractiones; his omnibus conveni-  
unt, & de iis pernoscendae sunt affectiones  
variæ, additio, subtractio, multiplicatio, di-  
visio, radicum extractio: investigatio quarti,  
vel etiam quinti numeri proportionalis igno-  
ti, quod ipsum fit in Regula aurea consortii,  
falsi. Etiam Arithmeticā præter tria hæc, spe-  
cies agnoscit: Logisticam sc. Astronomicam;  
& Cossicam, seu Alegebram, quæ speciales  
considerant quosdam numeri modos; illa-  
sexagenas particulas, ut gradus & minutæ.  
hæc vero numeros irrationales.

## II. GEOMETRIAR.

Geometria *Subjectum* est Quantitas conti-  
nua, seu magnitudo, quatenus mensurabilis.  
Nihil in hac scientia proponitur, quod non  
includatur huc rationi formalí, quæ mensu-  
rabile. Atq; hicmodus æque late patet, quam  
magnitudo seures considerata: Velut consi-  
milis æqualitas in Arithmeticā quoq; & disci-  
plinis aliis spectatur. *Principia Geometrica*  
sunt Axiomata, postulata, definitiones, qua-  
rum in Euclidæis Elementis messem metere.

G. 4.

licet.

licet uberrimam. *Affectiones* sunt innumeræ, quæ tot propositionibus ab Euclide, Pappo, Archimedè, Theodosio, aliisq; de magnitudine demonstrantur. Possunt tamen tribus includi capitibus, quemadmodum triplex est magnitudo, linea, superficies, & corpus. Linearum proprietates & accidentia demonstrat & explicat γεωμετρία, quæ est contemplatio tam linearum rectarum, quam circularium, & mixtarum. Επιπεδομετρία est de superficiebus planis, juxta & sphæricis. Huc pertinet omnis, omnium figurarum theoria, Trianguli, quadrati, pentagoni &c. Hujus επιπεδομετρίας particula est 1. Trigonometria, quæ docet Triangula quælibet oblata resolvere, & ex tribus cognitis seu lateribus seu angulis, tria per vestigare reliqua. 2. κυκλομετρία quæ circuli aream & quadraturam perscrutatur. Et 3. universim pertinet huc inquirere aream ac capacitatem omnium superficierum, & figurarum. Tertia Stereometria est de corporibus solidis, globo, cubo, Cylindro, pyramide; horumq; circumscriptiōnibus, capacitatis, & proprietatis aliis, quæ omnia vel regularia sunt, vel irregularia. Hæc sunt quib. absolvatur Geometria.

### III. STATICÆ.

A Numero & Magnitudine differre pondus,

dus, nemo opinor inficiabitur; Pondus vero non minus suas possidet affectiones, sua principia, variasq; species, quam vel magnitudo vel numerus. Hæc vero, quia causas habent, sciri possunt, & in aliqua scientia explicari. Illud vero nec in Physica fieri videmus, nec in Arithmeticā, nec Geometriā, nec aliis id genus disciplinis. Danda ergo est aliqua scientia, quæ pondus pro subjecto agnoscat, eadem legē, quâ Arithmeticā numerum, Geometriā magnitudinem. Tali vero disciplinæ rudera potius, quam integrum ædificium, antiquis scriptoribus accepta ferimus. Et inter recentiores præter unum Italum, unumq; Gallum, quod sciam, vix aliquis est, qui Staticam tractare, aut scribendo excolere conatus fuerit. Non dubito quin olim Archimedes, deprehendens pondus argenti, aureæ Coronæ permixtum, in staticis insigniter excelluerit. Ejus brevis adumbratio hæc est. *Subjectum* est pondus, non quatenus est Elementorum proprietas, quæ gravitate & levitate, id est, pondere convenienti instructa, vel sursum attolluntur, vel deorsum de primuntur; sed quatenus est ponderabile: sub quo considerandi modo, continetur quidquid circumscribitur limitib; hujus disciplinæ. Omnis, inquam, moles quatenus ponderat. *Principia* etiam hic ferè complexa sunt, id est, axiomata, definitiones, &

G s postula-

postulata universalia, haud aliter atq; in Geometria, & Arith: *Affectiones* ponderum multiplices sunt, partim absolute consideratæ, partim respectivæ & cum relatione ad alias ponderosas quantitates. e.g. quantum globus auri solidi, æqualis globo argenteo, hoc ipso sit ponderosior. Hac ratione etiam beneficio **Circini proportionum**, qui à Galilæo primū promulgatus dicitur, varias ponderum proportiones invenire & pernoscere licet. Est etiam hac nostra ætate Sanctorius Italus Medicus, qui Staticam ad humanum corpus, & hujus occultas exspirationes, apertasq; evacuationes applicare conatus fuit. Vocat verò Medicinam Staticam, qua hominem jejunum, saturum, ægrum, sanum, &c. ponderat, atq; hinc multa conjectatur & præsagit. Potest hæc esse species Staticæ, quales species etiam in aliis disciplinis dari sèpius monuimus.

#### IV. MUSICA.

Mufices *Subiectum* est numerus sonorus, quatenus est harmonicus. Numerus simpli- citer cedit Arith: Sonus simpl: Physicæ; quia est affection corporis Nat: At hoc Subiectum cum suo modo, proprium est Musicæ, hancq; segregat ab omnibus aliis disciplinis. Ubi illud notabis, ubi non est sonus harmonicus, quo- cunq; etiam modo expressus, seu viva voce, seu Organis, ibi non esse Musicam; Scientia enim

enim absq; Subiecto esse nequit; velutinula est Optica, ubi nullum corpus visile. Itaq; puto errare eos, qui Musicam ita in mera contemplatione positam volunt, ut etiam nunquam ad sonum proferendum seu cantum descendat: Etiam cantus & sonus harmonicus, quamvis voce expressus, tamen θεωρητικὸς est: siquidem solius cognitionis gratia queritur. At si eum quis externo fini & rebus aliis, affectuum mutationi adhibeat, is querit illud quod est extra pomœria scientiæ Musicæ. Esto igitur subiectum Musices Numerus sonorus, quæ harmonicus, id est, sonus certa mensura, numero, & proportione prolatus. De hoc subiecto sufficit, si scierimus ex Physicis, aliū esse sonum gravem, alium acutum, alium mediocrem. Præter hæc non requiritur ullæ peculiaris subiecti explicatio, ut sæpe monuimus Subiectum sequuntur principia seu instrumenta. Quod in Astronomia sunt Quadrans, Astrolabium, sphæra, & globus: idem sunt in Musica Organa multiplicia, vox asla, Chelys, cithara, pandora, clavichordium, fistulae, &c. per quæ concentus harmonicus cognoscitur, & editur. Omnia verò hæc instrumenta, nituntur certis quibusdam principiis & Elementis, quales sunt lineæ; & claves clavibusq; convenientes sex appellatae voces Musicæ, ex quibus scala conficitur, tam præmolli

mollis quam duro cantu. Huc item pertinent notæ, quæ & ipsæ sunt principium harmoniæ; variis; notarum characteres & valores; tum pausæ; quæ lineolis exprimuntur. Supersunt affectiones, ut intervalla varia, toni, semitonium, majus, minusque; Tertia imperfecta & perfecta: Quarta seu Diatessaron, sub qua Tritonus prohibitus: Diapente vel quinta: semidiapente, sexta, septima, Diopason, seu Octava. Hæc intervalla artificiose commissa conjunctaq; gignunt harmonicum concentrum, cujus nonnullæ sunt species (nam & species Subiecti, dantur in Musica) vocantur, alias Toni vel Modi: suntq; ex septem Speciebus Octavæ vel Diapason, & cognoscuntur ex ambitu & mediatione seu Initio, Medio, Fine. Hujusmodi Modi pares sunt Dorius, Hypodorus, Phrygicus, Hypophrygicus, Lydius, Hypolydius, Æolius, Hypoæolius, Jonicus, Hypojonicus &c.

#### V. SPHÆROGRAPHIA.

Cur ex ea Mathesijs parte, quæ Sphæræ armillaris scientiam tradit, peculiarem faciā disciplinam, causæ me moverunt non leves:

- I. Quod pluribus est commune, id nullius est proprium. Sphæra tam Astronomiæ quam Geographiæ ex æquo communis est: ambæ eā utuntur ad suas demonstrationes. Itaq; non magis censi potest pars Astronomiæ, quam Geogr;

Geogr: Sed ab utraq; est distincta. Quin: ut se habet Logica ad Ethicam, Physicam &c. ita Sphærographia ad Astron: Geogr: 2. Nisi se paratim constituatur Spærographia, diversa ab Astron: & Geogr: ingens orietur disciplinarum confusio. Quando Sphæra modo Astronomiæ , modo Geogr. permisceretur. Constitutio Sphærogr: talis est. Si in se, & suos intra terminos spectetur Sphærographia, absolutum quid est, scientia scilicet occupata cognoscendis Sphæræ circulis, horumque constitutione. Si verò conferantur cum Astron: & Geogr: tum est habitus Organicus, necessarius pro perfecto istarum intellectu: Est, inquam, principium cognitionis totale, hanc secus ac Geom: & Arit: iisdem duabus scientiis Astron: & Geogr: inserviunt.

*Subiectum* est Sphæra quatenus puncta, lineas, circulosq; imaginarios repræsentat. Sphæra ut totū resolvitur in suas partes; puncta, quales Poli: lineas, quales axes: circulos tam maiores, quales Horizon, Meridianus, Äquator, Zodiacus Colari. &c. tam minores quales Trop: & Arctici.

*Principia* Sphærica sunt observationes sedulæ, & multijuge Mathematicorum industria factæ.

*Affectiones* sunt rotius Sphæræ positus triplex, rectus, obliquus, verticalis: Circulo-  
rum

rum situs & distantia à se invicem : Divisio  
in gradus & minuta, & alia.

## VI. ASTRONOMIA.

Hæc scientia pro *Subiecto* habet quantita-  
tem Motuum Cœlestium, qua constanti Lege  
sunt circa terram. Motus iidem ad Physi-  
cam quoq; pertinent, sed tamen sub alio con-  
siderandi modo, quæ sc. fluunt à natura aut  
sunt affectiones naturales Cœli. Verum ad  
Astronomiam, quæ sunt quanti. *Principia* hu-  
jus Scientiæ præter Geometriam & Arithme-  
ticam, quarum adminiculo indiget, sunt in-  
strumenta quædam, Astrolabium, quadrans,  
sextans, Radius, Globus, Sphæra, Theoriæ  
Planetarum: quorum beneficio Astronomus  
indagat & cognoscit varios motus, syderum  
affectiones. Quia motus cœli duplex est; Uni-  
versalis & Proprius, ideoq; duo etiam sunt  
genera instrumentorum, duo affectionum:  
Alia motui primo & universali conveniunt:  
alia motibus singularum stellarum propriis.  
Instrumentum præcipuum motus universalis  
est Globus, Astrolabium, (quod nihil est  
aliud quam globus, redactus in planitem...)  
per quæ demonstrantur & cognoscuntur po-  
lydædalæ affectiones Motus Communis; (un-  
de nascitur pars Astronomiæ communis) qua-  
kes sunt, Numerus (nam & hic quantitas est)  
stella-

stellarum, magnitudo: situs, quæ ut melius  
sciantur, includuntur certis imaginibus: tum  
porro Ortus, Occasus solis, & stellarum re-  
liquarum, dies, nox, crepuscula, (nam &  
tempus est Quant.) horæ, latitudo ortiva,  
ascensio recta, obliqua &c. Instrumenta secun-  
dorum motuum sunt Hypotheses seu Sphæræ  
& Orbæ cœlestes, Excentrici, Epicycli, quæ  
uno nomine dicuntur Theoriæ Planetarum:  
*Affectiones*, per hæc Organa demonstrandæ,  
de motibus propriis (unde nascitur Astrono-  
miae pars propria) sunt loca planetarum in  
Zodiaco, (nam locus etiam quantitas est) lon-  
gitudo, latitudo: Eclipses &c. Anni, Men-  
ses, quæ omnia per Arith: Geom: Theorias  
planetarum, cæteraq; principia enumerata,  
per vestigata in Ephemeridib. discripta ordi-  
ne habentur.

## VII. ASTROLOGIA.

Hæc longè recedit à certitudine & neces-  
sitate scientiarum, magnaq; sui parte conje-  
cturis quibusdam nititur. Reduci tamen ad  
Scientias debet, quia nec πηγὴ est, nec  
περιπτή, sed θεωρητή; tum quoq; est pro-  
pago aut appendix Astronomiæ & Physicæ.  
Nam ex illa fundamenta; ex hac affectiones  
suas mutuatur. *Subiectum* hujus sunt motus  
stellarum, quâ particulares effectus edunt in  
mundo.

mundo hoc inferiori & homine. Atq; hoc ipso à Physica differt, quæ & ipsa contemplatur motus syderum, & eorum effecta, sed generaliter; neq; descendit ad specialia, aut particularia, velut Astrologia. Hujus Subjecti seu Motuum Cœlestium cognitio ex Astronomia peti, & præsupponi præcognoscij; debet. Nam necesse est, ut habeat cognitam cœli & syderum exquisitam constitutionem, is, qui ex illa defuturo eventu judicare cupit. Fundamentum igitur Astrologiae est Thema cœleste, quod erigere non tam Astrologi est, quam Astronomi. Hic enim motuum cœlestium quantitatem contemplatur. *Principia Astrologica* non sunt alia, quam Axiomata, seu Regulæ quædam, longa observatione inventæ & comprobatae, per quas eventus ac effectus futurus colligitur. Hæ Regulæ pro fundamento agnoscunt, non rationem & Experientiam; ( quemadmodum hæc duo sunt principia & crura Medicinæ ) sed solam Experientiam. Ratio nulla dari potest. *Affectiones* verò per illa principiade motibus cœlestibus cognoscendæ non sunt aliæ, quam eventus aut effectus varii: qui quia duum sunt generum, alii communes pluribus; alii uni alicui individuo proprii; idcirco duæ quoq; Astrologiae nascuntur partes, una quæ est de effectibus & mutationibus in aere, aqua, terra; de bello,

bello, peste, annonā, tempestatibus futuris, Eclipsiū effectibus; quarum præsagitionibus Calendariographi hodie sese macerant. Nam ipsa Calendarii conscriptio, & anni distributio, in menses, dies, unā cum motu & locis adhaerentibus planetarum, non ad Astrologiam, sed Astronomiæ propriam partem pertinet. Astrologia in Calendariis nihil suum habet præter futurorum eventuum prædictiones. Effecta quæ singulares homines, aut individua attinent, sunt ea, quæ habentur ex Genethliacis, seu Nativitatum judiciis, in quibus de cuiusq; vita, & morte, de divitiis, coniugio, valetudine, fœlicitate deniq; aut infelicitate existimatur.

### VIII. GEOGRAPHIA.

Geograpiæ *subjectum* est Superficies terræ, quatenus in certas Regiones, Insulas, Maria, flumina &c. distincta est. Habes hic æqualitatem Rei & Modi: Ipseq; modus discriminat Geographiam ab omnibus aliis disciplinis. *Principia* præter Arith: & Geometr: habet Instrumenta varia, Globum terrestrem, Mappas seu Tabulas Geographicas; Et ea Organa, per quæ fiunt Tabulae hæc ἔχοντες φίγου, qualia sunt Rotundum Geographi: aut Mensula Geographica, quorum beneficio Ichnographiæ agrorum, urbium, regionum, in Chartis vel

H

tis vel

tis vel Tabulis describi, & eleganter depingi solent. Omnia tamen hæc, non sunt operis, sed solius cognitionis gratiâ, cui, quidquid instrumentorum vel usurpat vel tractat Geographus, essentialiter subordinatur. Si quis aliis est usus, aut scopus, is jam est extra Geographiam. Per principia hæc itur ad Affectiones, quæ multæ sunt. Vel enim totius superficie terrestris facies, & descriptio, & cognitio queritur, (qualem suppeditant Globus & Mappæ universales) vel certæ alicuius regionis, ut Europæ: atq; ita nascitur Pars Geogr: dicta Chorographia. Vel solius Maris & aquarum, sicq; dicitur Hydrographia; Velsingularis alicujus loci; agri; urbis; diciturq; Topographia. Hisce omnibus quæ conveniunt affectiones, per prædicta principia demonstrandæ, vel generales sunt, vel speciales. Generales sunt Zonæ, Climata, Long: Latit. distantiæ; de quibus est communis pars Geogr: Speciales sunt ejusq; Regionis, & urbis, & maris, & littorum, fluminum, fontium, historiæ Geographicæ, ûde pars specialis. Atq; hæ particulares historiæ, haberi possunt pro speciebus subjecti Geographici: quales species sè penumero dari in scientiis nonnullis, præter tria membra solemnia Subjectum, Principia & Affectiones, ante diximus.

## LX. OPTICA.

## IX. OPTICA.

Hujus *Subjectum* est corpus coloratum, aut Lucidum, qua visile. Ecce Rei & Modi æqualitatem. De corpore, luce, colore, visione, etiam Physica agit: sed alio considerandi modo, qua scilicet hæc sunt illius affectiones, & à naturâ fluunt. At Optica solum ea considerat, sub modo quo videntur. *Principia* non sunt alia, quam definitiones, postulata, Axiomata, qualia Optici suis operibus quam plurima præponunt, velut Axiomata Geometrica suis libris Euclides. *Affectiones* per hujusmodi principia demonstrandæ, reduci possunt ad tria genera; scilicet ad visionem directam, quæ fit per unum medium tantum: visionem reflexam; quæ fit specie à corporibus politis resiliente. Atq; hujus loci est Catoptrica: seu visionem deniq; refractam, quæ fit per duo plurave diversa media.

## X. GEODESIA:

Hanc dicimus esse propaginem quandam Geometriæ, seu potius nihil aliud, quam Geometriam, usui accommodatam, id est, altitudinum, profunditatum, distantiarum &c. dimensionibus per vestigandis. Quanquam vero Organorum quorundam manualem usurpationem adhibeat, non tam en propterea desinit esse scientia, aut Ars æstimant-

H 3. d a v e -

davenit: Cum & Astronomia suis instrumentis, globo, Astrolabio, quadrante &c. manus admoveat; cum etiam nudà cognitione & *θεωρίᾳ* distantiarum, altitudinum, profunditatum &c. contenta sit, nec ullum producat opus. Porro *Subjectum Geodesiae* est quantitas, quatenus obtinet certas Positionum differentias, sursum, deorsum, ante, retro; vel est magnitudo, quā alta, profunda, distans aut vicina. Quidquid huic considerandi modo non includitur; id non referendum est ad Geodesiam. *Principia Geodetica* sunt varia *Organa metrica*, *Quadratum*, *Quadrans*, *Regula*, *Circinus*, *Mensula Geodetica*, & infinita alia, qualia pro ingenii luxuriā quisq; fere Geodetes sibi propria exco-gitat: Hæc, inquam, & præter hæc *Arithmetica* item & *Geometrica* quædam principia. Nam jam ante monui, unam scientiam sæpe fieri principium & instrumentum alterius scientiæ. *Affectiones* sunt altitudo turrium, ædificiorum &c. Profunditas puteorum, fontium, Cavernarum: Distantiæ & intercedentes locorum, visum simul incurrentium; quæ omnia per prædicta instrumenta indagantur. Scio ad Geodesiam hodie detrudi à multis, agrorum quoq; sylvarum, & camporum dimensiones, *ιχνευτικας*, distributiones,

avah

H

sed

sed mea est sententia , hæc non esse propriè  
hujus scientiæ , quia non continentur sub  
modo Considerandi Subjecti Geodetici . Po-  
tius esse opera Geometriæ conjunctim & Geo-  
graphiæ . Nam Geographiæ officium est , fi-  
guram & *iχνογριαν* tum totius terræ , tum  
singularum terræ partium etiam minutissima-  
rum consignare . Ad Geometriam vero  
pertinet areas figurarum , & su-  
perficiesum quarumq;  
pervestigare .



# INDEX.

<i>Præloquium</i>	pag. 3.
<i>Methodus duplex</i>	4.9.
<i>Discipline militaria.</i>	5.
<i>Discipline pacifica</i>	6.
<i>Discipline theologica</i>	7.
<i>Ars omnis consistit in subjecto, Fine &amp; Mediis</i>	10.
<i>Subjectum artium</i>	12.
<i>Conditiones Subjecti</i>	14.
<i>An modus considerandi semper debet equalis esse rei consideratæ</i>	17.
<i>Fini artium</i>	23.
<i>Conditiones Finis</i>	24.
<i>Instrumenta Artium &amp; horum conditiones</i>	26.
<i>Artes instrumentarie</i>	28.
<i>An habitus Organici constituant peculiare disciplinarum genus</i>	28.
<i>Disquisitio de natura instrumenti</i>	29.
I. Grammaticæ constitutio	35.
II. Poeticæ constitutio	40.
III. Poesios essentia in quo consistat	42.
IV. Rhetor: constit:	43.50.54.
V Logices constitutio	54.
VI Mneazonices const	56.
VII. Medicinæ constit:	57.
VIII. Pharmaceuticæ const:	61.
IX. Chirurgicæ const:	63.
X. Chemicæ const:	63.
XI. Plasticæ const:	65.
XII. Argenti & Aurifabrilis constitutio	67.
	13. Architec-

XIII. Architectonicæ const.	69
Methodus tractandarum disciplinarum practicarum	
I. Ethices const.	70.
II. Politices constit.	71.
III. Oeconomicæ const.	72.
IV. Theologiae constit.	74.
V. Jurisprudentiæ const.	76.
Methodus constituendarum scientiarum	
Subiectum scientiarum	80.
Conditiones subjecti scientifici	81.
Principia scientiarum	83.
Conditiones general. princip.	84.
Principia cognoscendi	86.
Principia essendi	87.
Affectiones scientiarum	89.
Conditiones affectionum.	90.
Species in scientia	91.
I. Physices constitutio.	92.
II. Methaphysics constit.	92.
Scientiæ Mathematicæ	96.
I. Arithmetices constit.	99.
II. Geometriæ constit.	102.
III. Staticæ constit.	103.
IV. Musicæ constit.	104.
V. sphærograph. constit.	106.
VI. Astronomiæ constit.	108.
VII. Astrologiæ constit.	110.
VIII. Geographicæ constit.	112.
IX. Opticæ constit.	113.
X. Geodesicæ constit.	115.
	115.


**FINIS.**












XIII. Architectonicæ const.  
 Methodus tractandarum di-  
 rum  
 I. Ethices const.  
 II. Politices constit.  
 III. Oeconomicæ const.  
 IV. Theologicæ constit.  
 V. Jurisprudentiæ const.  
 Methodus constituendarum  
 Subjectum scientiarum  
 Conditiones subjecti scientiæ  
 Principia scientiarum  
 Conditiones general. princ.  
 Principia cognoscendi  
 Principia essendi  
 Affectiones scientiarum  
 Conditiones affectionum.  
 Species in scientia  
 I. Physices constitutio.  
 II. Metaphysices constit.  
 Scientiæ Mathematicæ  
 I. Arithmetices constit.  
 II. Geometriæ constit.  
 III. Staticæ constit.  
 IV. Musicæ constit.  
 V. sphærograph. constit.  
 VI. Astronomiæ constit.  
 VII. Astrologiæ constit.  
 VIII. Geographiæ constit.  
 IX. Opticæ constit.  
 X. Geodesiæ constit.

**FINI**



69  
 ica-  
 70.  
 71.  
 72.  
 74.  
 74.  
 76.  
 80.  
 81.  
 83.  
 84.  
 86.  
 87.  
 89.  
 90.  
 90.  
 92.  
 92.  
 96.  
 99.  
 102.  
 103.  
 104.  
 106.  
 108.  
 110.  
 111.  
 113.  
 115.  
 115.